



A. D C C L X I X

primum in lucem edidit ex antiquissimo Codice
Veranensis Ms. nongencorium annorum

admodum raro et difficilis

ROMAE

EX TYPOGRAPHIA VATICANA

M DCC XXXV

Imprimere Faciliat.



Sept. 24
Year 2nd
Vol 18

CONCILIUM
LATERANENSE
STEPHANI III
A. DCCLXIX

*Nunc primum in lucem editum ex antiquissimo Codice
Veronensi Ms. nongentorum annorum*

ET DICATUM
SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO
CLEMENTI XII
PONT. OPT. MAX.
opera, & studio
CAJETANI CENNI



ROMAE
EX TYPGRAPHIA VATICANA
M DCC XXXV

Superiorum Facultate.



СОГЛАСИЕ ПАМЯТИ

ТАТАРКАНИЯ

СЕПАНГИ

АДЕКУИХ

ЧАРЫНДЫЛЫ
Народы Мира, единение и мир

АДАМАНДЫ

САНКТАСИМО ДОМНО НОСТРО

СЛЕМЕНТИНІХІ

ХАМЛОТИОЧ

ОДСА, ОДСИО

ІЛІНДІАТЫА



ВАНДОЯ

САЛГІЛІКІНДІАТЫА

УКІЛДА

SANCTISSIME PATER



ANCTITATEM TUAM, Christi Vicari, Princepsque humani generis, quam potiori consilio tacitus adorarem, coram alloqui non vereor, nec erubesco. Timorem quippe eripuit, quam præfers ipso nomine, Clementia, pudorem felicitas rei, quam Tuos ad Sanctissimos Pedes provolutus ab Apostolica ista Tua Sede juheor referre. Divinitus eductum est, SANCTISSIME PATER, ex immensa vetustatis caligine Concilium Patriarchale, quod ante annos nongentos quatuor, & septuaginta Prædecessor Tuus Stephanus III. in Lateranensi Basilica celebravit.

*Eftque eductum, Te Pontifice, ut, qui tanquam
Summus Princeps, præter maritimam Apostolicæ
Diiionis partem, magnificis instructam ædificiis,
ac munificentissime instauratam Urbem, innume-
ris potestatis Consularis, atque Imperatoriæ Ma-
jestatis monumentis arcem Capitolinam decorasti;
novo Supremæ Potestatis documento Apostolicam
Sedem, tanquam Divi Petri Successor, Pontifex
Maximus, ac Religionis interpres, adversus no-
varum rerum cupidos roborares.*

*Præstantissimum hoc monumentum, tametsi
non integrum ab injuria temporum evasit, nam
primam tantum Concilii partem, eamque male
habitam præfert; luculentissime tamen probat
obedientiam, & subjectionem Gallicanorum Præ-
sulum Successoribus Divi Petri, atque originem
creandi Archiepiscopos, ut nostra ætate fit, per
Sacri Pallii traditionem, quæ res paulo secus au-
dit apud Scriptores exteriores, nostrarum, suarum-
que rerum silentio per medium ævum, deceptos:
utrumque autem testatur non commentariis, sed
factis. Præterea quadraginta Episcopos Italiæ Se-
dibus, Galliæque duodecim, ante hunc diem aut
penitus ignotos, aut non recte cognitos, reddit.
Quare brevem de eodem Concilio Dissertationem
confeci, magis ut memoria repeterem prisca tem-
pora, quam ut monumenti luci clarissimæ, meo
ingenio, quod sentio quam sit exiguum, splendo-
rem adjungere conatus sim.*

Hanc

DEDICATORIA. v

Hanc, SANCTISSIME PATER, una
cum Concilio ad Tuæ Beatitudinis Pedes mecum
attuli; quamquam intelligo, quam dispar sit u-
triusque conditio. Concilium siquidem Tibi uni,
tanquam Universalis Ecclesiæ Capiti, atque ejus
Depositii sequestri, cuius idem pars est, subjicien-
dum, suo jure ad Te venit. At tenuissimi mei
labor ingenii nullo alio nomine ad tantæ Digni-
tatis fastigium accedit, præter conceptam de ma-
xima Tua Clementia spem, qua vel infimæ ple-
bis vocem, & scripta non dedignaris. Cui profe-
cto ipsa Tua Sanctitas incrementum dedit, quum
cælestis Tui animi judicium non improbabavit, quo
de unius & trinita Tuorum Prædecessorum re-
bus gestis in quarto Tomo Anastasi Bibliothecarii
Chronologice digefferam, unde etiam cœpi alacrio-
ri persequi industria reliquorum Anastasi Pon-
tificum historiam. Mibi enim visus es, BEA-
TISSIME CLEMENS, præscribere, ut pergerem
studium, ingeniumque omne in Sanctæ Sedis ob-
sequium impendere, ab ea nullatenus via desle-
ctens, quam mibi semper cum lacrymis nominan-
dus integerrimus Præsul Franciscus Blanchinus
Veronensis aperuit.

Quamobrem, SANCTISSIME PATER,
quum sim pollicitus in quarto Tomo, Concilium
Stephani III. in lucem edere, ne pretiosum adeo
monumentum desideretur usque ad quinti editio-
nem, fidei præstite deesse nolui, & ne penitus in-

ornatum prodiret, præfatam Dissertationem adjeci
 Tuis sub Sanctissimis auspiciis: fore enim confi-
 do, ut partem summæ rei Pontificiae non rej-
 cias, qui tantam meis studiis alacritatem, de
 summa ipsa judicium ferendo, addidisti. Ita-
 que ad eorumdem Sanctitatis Tuæ Pedum oscu-
 la inclinatus, annuentis illius vocem, & juxta
 perennis Benedictionis largitionem expecto, dum
 interim, quod humana conditio non potest, divi-
 nitus, Pater Optime, Maxime, faustum Tibi,
 & diuturnum Catholicæ Ecclesiæ regimen votis
 omnibus precor.

S. T.

Hannill. Obsequentiss. Addictiss. Serv.
 Cajetanus Cennius.

IM-

I M P R I M A T U R.

Si videbitur Reverendiss. Patri Sacri Palatii Apostolici Magistro.

N. Episc. Bojan. Vicesger.

A P P R O B A T I O N E S

QUæ fuerint Provinciæ cum Civiles , tum Ecclesiasticæ Galliarum , & Italiae , quæ Sedes Episcoporum Franciæ , Tusciæ , Campaniæ , atque Provinciae Italiae , qui denique earumdem Episcopi , qui Concilio Lateranensi Stephani Papæ III. anno reparatae salutis DCC LXVIII. interfuerent , præclarum hoc sacrae antiquitatis monumentum , nunc primum publici juris factum , atque selecta eruditione illustratum a doctissimo Viro Cajetano Cennio Presbytero Pistoriensi Eminentiss. , ac Reverendiss. Domini D. LUDOVICI BELLAGA S. R. E. Presbyteri Cardinalis S. Priscæ , Protectoris Hispaniarum &c. Bibliothecario , de nupera Vaticana editione Anastasii *De Vitis Romanorum Pontificum ob Chronogiam Cæsaream Pontificiam* , & Notas Chronologicas optime semper merito , cuique palam facit , & abunde testatur . Integralm laudati Concilii historiam , una cum nominibus ac numero Episcoporum , qui ex Francia , & Italia convenere , hactenus a peritis omnibus desideratam , tentatam ab aliquibus , sed summis , ut ajunt labiis tantummodo delibatam ipse primus omnium eduxit ex insigni Codice Amplissimi Capituli Veronensis , quem ea , qua pollet sagacitate in evolvendis antiquitatis Ecclesiasticæ tabulariis mihi perhumaniter exscripsit , & dono dedit Bartholomæus Campagnola Archipresbyter Sanctæ Cæciliæ , & Cancellarius Capitularis , curante Doctissimo , atque Illustrissimo Comite Ottolino Ottolini , multimoda eruditione , tum Sacra , tum prophana in Urbe notissimo , ac viris dignitate præstantissimis apprime caro . Igitur demandante Reverendissimo Patre Joanne Benedicto Zuanelli Sacri Palatii Apostolici Magistro , Opus hoc attente , atque jucunde perlegi ; nihilque in eo comperi , quod Fidei , aut bonis moribus adersetur , plurima vero , quæ subordinationem Gallicanorum Præsulium Sanctæ Sedi clare demonstrant . Quare Typis mandari utilissimum fore censeo , si ita P.S. Reverendissimæ visum fuerit . Dabam ex Ædibus Vallicellani III. Id. Decembris 1735.

Ego Joseph Blanchinus Presbyter Congregationis Oratorii .

Mandatis obtemperans Reverendissimi P. Joannis Benedicti Zuanelli Sacri Apostolici Palatii Magistri attente, & jucunde perlegi Dissertationem de Concilio Lateranensi multa cum eruditione elaboratam a V. Cl. Cajetano Cennio Presbytero Pistoriensi &c. simulque Praefationem, seu Commentarium prævium eidem Concilio, quod idem Autor nunc primum publicæ lucis facit; neque inveni quicquam Regulis Fidei, ac morum dittonum. Quare censeo Typis mandari posse, ad Ecclesiasticæ eruditio[n]is utilitatem, nisi aliter videatur P. S. Reverendissimæ. Ex Ædibus Eminentissimi, ac Reverendissimi Domini mei pridie Idus Decembris 1735.

*Cosmus Torettus Eminentiss. ac Reverendiss. D. Card. Belluga
Auditor, & Accademia Theologica Censor.*

I M P R I M A T U R.

Fr. Jo: Benedictus Zuanelli Ord. Prædic. Sacri Palatii Apostolici Magister.

P R A E F A T I O .

Et Commentarius prævius in Concilium Lateranense .

Inter plurimas , singularesque insignis Bibliothecæ Capitularis Veronensis laudes , constanti eruditorum testimonio celebres , perpetuae memoriae Præsul Franciscus Blanchinus eam jure numerat , quæ privatam Amplissimi Capituli possessoris gloriam attingit . Postquam enim docuit , vix ullam Sedem Episcopalem esse in tota Italia , finitimisque regionibus , quæ tot scriptos veteres Codices ab nono ante nos seculo custoditos ostendat in suis pluteis , in ipsos Custodes Diplomaticæ semper rei scientissimos ex eodem Collegio Capitulari electos meritas laudes effundit ; II quippe ex tanto , quem custodiunt thesau-ro , maxima Ecclesiasticae historiæ emolumenta omni tempore attulerunt . Horum ille plures enumerat , faciens initium a librairie ejus supellectilis fundatore , seu potius amplificatore Pacifico Archidiacono , qui supremum obiit diem anno Christi 856 . Lothario Imperatore : verique ut admodum simile mihi videtur , Concilium hoc Lateranense , quod ex celebri ea Bibliotheca nunc primum in lucem prodit , Archidiacono illi Pacifico refertur acceptum ; nam testatur V. C. Bartholomæus Campagnola Archipresbyter S. Cæciliæ , & Cancellarius Capitularis , quod Codici est adnexum , in quo Concilium Ephesinum , & epistolæ ad id spectantes continentur , diversi quidem Scriptoris manu exaratum , at non minus antiqua ea , quam refert Codex , seculi nimirum noni . De præstantissimo eodem Cancellario dixi alibi , quid præcipue senserint æqui eruditorum æstima-tores VV. CC. laudatus Præsul , & Ludovicus Antonius Mura-torius Sereniss. Ducis Mutinensis Bibliothecæ Præfectus , neque enim tantum mihi tribuo , ut præclaro ejus nomini ullum addi posse incrementum putem meo suffragio . Ad ipsum vero Con-cilium quod spectat , silentio præterire non possum duos singu-lari eruditione ornatissimos cives Veroneses , quorum benefi-cio tantæ vetustatis monumento utimur : nempe nobilissimum Comitem Ottolinum Ottolini generis claritate , doctrinæ Theo-logicæ , atque multimodæ eruditionis præstantia Literatorum .

L.
Inventio Con-cilii Lateranen-sis.

Anast. to: 30
Proleg. pag. 340

Anast. to: 49
pag. 254

* *

Reip:

XII P R A E F A T I O .

Reip. notissimo, ac fama nominis celeberrimo; necnon Patrem Josephum Blanchinum Congregationis Oratorii Presbyterum, Virum in urbe omnibus spectatissimum, cuius laudibus parcerem jussas cogor, ne Censoris mei integerriam fidem, si minus violare, saltem verborum lenociniis sollicitare videar. Hujus autem singulari erga me benevolentiae monumentum hoc acceptum refero: quippe idem rediens in illius memoriam visi olim insigni in ea Bibliotheca, cuius Praefectus erat, dum amplissimo Capitulo Veronensi accensebatur; a laudato Comite Ottolini impetratum dono mihi dedit. Suæ etiam partes descriptori V. C. Bartholomæo Campagnolæ debentur; illius siquidem studio, & opera nos (qui rem Pontificiam ab utroque Blanchino adeo illustratam vidimus tot Bibliothecæ Veronensis Codicibus tum editis, tum ineditis) modo utimur tam præclaro monumento, ut æquus quisque æstimator fateatur necesse erit.

II.
Occasio scri-
bendi de Conci-
lio Lateran.

Optandum sane erat a Deo Optimo Maximo, ut gloriae Apostolicæ Sedis documentum integrum proferretur; modicæ tamen partis, quam edaci eripuit tempori bene de eadem meritus Campagnola, quanta futura esset æstimatio apud eruditos intellexi, quum primum Junio mense hujus anni dono, ut ajebam, acceptum carptim oculis usurpavi, deinde semel, iterum, tertio relegens, novum semper, semperque magnum inveni.

Anast. to: 4. pag. 254.

Quare non potui, quin subjungerem Notis Chronologicis Pauli I. quas præclo mandabam, thesauri inventi notitiam; promitteremque anxietati publicæ eruditorum, fore ut propediem iis facerem ejusdem copiam, ne quintum Anastasianæ editionis to-mum, quo pertinet, manere cogerentur. Et sane, ubi primum per meas occupationes licuit, steti promissis, & quas ibidem Notas pollicebar, unica dissertatione amplexus sum. Neque id quidem, ut monumentum per se clarum illustrare, aut docere alios, maxime docendus ipse, præsumserim; verum ut quæ lectori gravioribus haud dubie studiis occupato continuo non suppetent historiae veteris, revocarem in mentem. Quæ etiam est causa, cur exesa aliquot verba *italico*, quem vocant, charactere, ipso in Concilii textu ausus sum reponere, &, ubi explicit Codex, partim ex Anastasio, partim ex Collectione Romana Lucæ Holstenii, & Spicilegio Acherii supplere, quæ ejusdem Concilii habentur edita, ne supellex libraria necessaria esset paucarum.

mo-

monumento tabularum interpretando: si modo alicui libuisset rem integrum ex tanta vetustate repetere.

Equidem vereor, ne nimius fuisse videar in re Episcopali, jejonus in reliquis, ea quippe ut plurimum tetigi alias res agens. Qui autem secum reputet, Ecclesiasticum me gessisse historicum, non disceptatorem, cuiusmodi hominum doctissimorum copia obruimur, secus sentiet. Quin præsertim me esse imitatum videat VV. CC. Lucæ Holstenii, & Ludovici Antonii Muratorii exempla, qui vel Concilia, vel eorum fragmenta etiam edita evulgantes, si quando melioris Notæ Codices nacti sunt, rem appriue Episcopalem curarunt. Quin eorum postremo felicior mihi videor fuisse; nam is invento Concilii Romani fragmento, quod anno 863. celebrabatur, gaudio exultavit, ut debuit, quod Nandecisum Ughello ignotum, Catalogo Episcoporum Polensem in Italia Sacra addendum repérerat; ego vero non unicum, sed fere quadraginta Episcopos Italiæ Sedium Catalogis adjungendos emitto. Præterea Gallicanos duodecim ante hunc diem non recte cognitos demonstro, Recentioresque eruditissimos, Sirmondum sequotos, deceptos esse palam facio. Huc accedit, quod magnum illud totius Europæ decus, ac portentum memoriæ, Antonius Magliabekius Africanorum aliquot Episcoporum nomina, & Sedes examinare, occupationem dignissimam judicavit, quam tanto viro committeret, quantus erat Henricus de Noris, postea Cardinalis amplissimus; tametsi gravioribus eum curis impeditum non ignorabat. Nihilo tamen minus, quum Scriptori honesto, & integro reprehensioni nullus relinquendus sit locus, nonnulla, quæ in Dissertatione locum non habuerunt, prævio velut Commentario, mox attingam: ineditæ tamen partis continear limite, quippe quæ mei juris est facta. Quidquid autem ex collectione Romana, & e Spicilegio Acheriano decerpsi, intactum relinquam, nou enim est æquum alienæ messi falcam admoveare injussum hominem, ac præsertim messi magna ex parte direptæ.

Pag. 1. *Incipit Concilium Domini Stephani tertii Papæ. Post S. Zachariae mortem a. 752. Stephanum quemdam, ait liber Pontificalis, Presbyterum ad ordinem Pontificatus cunctus populus sibi elegit, & intra Lateranense Patriarchium misit, ubi biduo manens, tertio die postquam a suo surgeret somno, & sedens familiares causas suas*

III.
Oeconomia
Dissertationis de
Conc. Lat.

Collect. Rom.
part. 2.
Scriptor. Ital.
to. 2. p. 2. col.
15c.

Ibid. col. 127.

Noris Cens. in
Jo: Garci. to. 3.
col. 1109.

IV.
Concilii prin-
cipium notabile.
Anafas. sect.
227.

disponeret, subito dum sederet, alienatus obmutuit, & sequenti die defunctus est. Quare hunc inter Pontifices, utpote non consecratum, haud recenset; infra enim in vita Hadriani loquens de Stephano, qui nimurum celebravit Lateranense Concilium, appellat tertium, non quartum. Fabrottus, Panvinus, Baronius, aliquique hos sequuti inter Pontifices numerant Stephanum quoque alium non consecratum; quare noster passim dicitur III. al. IV. Horum ego obsequium in Summos Pontifices, vel electos damnare non ausim; quum tamen & a libro Pontificali, & a Concilio Lateranensi admonear a numeratione Recentiorum recedere, Tertium semper appello. *Regnante uno, & eadem Sancta Trinitate.* Notabile principium! Celebrabatur Concilium anno Constantini Copronymi 28. Leonis IV. 18. vetusque consuetudo erat Imperiales annos non negligere. Quin etiam impia Iconomachorum hæresi gliscente S. Zacharias anno 743. Artavasdi, & 745. Constantini ejusdem annos de more in suis Conciliis numeravit. Undenam igitur novum hoc, inauditumque silentium? Haud longe petenda est ratio. Zacharia Pontifice adhuc tuebatur pro Orientis Imperio partem Italiam Exarchus Eutychius; quumque hic adhaereret Pontifici, cuius opem contra Liutprandum impetraverat, spes adhuc aliqua erat, posse Iconomachos resipiscere. At sedente Stephano III. nulla amplius spes esse reliqua videbatur; impius enim Cæsar eo usque temeritatis devenerat, ut Pseudo-Synodo celebrata cruentissimum sacris imaginibus bellum indixerit, easdem omnes everterit, atque contriverit, Sacerdotes, & Monachos earum defensores tormentis, exilio, morte damnaverit. Præterea nulla amplius Italiam pars servabatur ab Exarchis Imperio, immo Exarchatus ipse in Ditionem S. Sedis concesserat, omnisque Italia ab impiis Græcis defecerat. Regis Deûderii aliorum instar Regnorum forte anni numerati essent, quod & S. Zacharias de Liutprandi fecerat anno 743. at fœdifragus Rex iste, nulla motus religione, Pontifici & Ecclesiæ infensus, Apostolicæ Sedis Ditionem undeque pervaserat, flaminisque, & ferro vastaverat. Quid igitur Papa infelix, & congregati Patres Imperatoris, aut Regis auspicio Concilium coepérint? *In nomine, inquit, Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* *Regnante uno, & eadem Sancta Trinitate.* Unius Trinique Dei sub auspiciis Lat. Concilium celebrari poterat, & debebat,

Men-

Mense Aprile, die duodecima, Indicione septima. Character temporis indicat, inchoatum esse Concilium secundo anno Stephani, qui erat in cursu usque ad diem Augusti septimam 769. per Indictionem demonstrati, & quidem feria IV. cui respondet dies duodecima Aprilis. Secerni hic possunt initia duo, quæ in Ordoine de celebratione Concilii sunt perspicua. Primum videlicet, quum Rogationes letaniarum continuatæ per triduum incipiuntur: alterum vero, quum omnes, qui de Religiosis in retroactis diebus pro spirituali instructione interfuerant in Concilio, foris egrediuntur

*& cunctis astantibus oratio colligenda erat; & sic consedentes causarum negotia justæ, & religiose colligebant. Quare prima Concilii collatio fuit die Dominica 9. Aprilis: ita tamen, quemadmodum ordo prædictus monet, ut totos tres dies letaniarum nihil aliud agatur, nec retractetur, nisi de mysterio S. Trinitatis, & de Ordinibus Sacris, vel officiorum institutis. Id autem triduum, quippe ad res agendas præparatorium, non erat, quid in Actis recenseretur. Secus est, quum de Concilio indicendo ad certam diem res erat, ut præsertim de Synodo V. legimus dicta ad IV. Nonas Majas, qui dies anno 553. in Dominicam incidebat. Nec mente assequor, cur Antonius Pagius Baronio, & Codd. editis adver-
setur, Garnerii autoritate reponentis ex Codd. Bellovacensi, & Parisiensi die III. Nonas Maji, ut feria secunda inchoari Synodos doceat, exemplo Nicenæ, Constantinopolitanæ primæ, Ephesinæ, & Chalcedonensis; nam sequentes Synodi generales, ipso teste, non fuerunt obnoxiae isti legi. Præterea Card. Norisius saepe ab eodem laudatus retinet cum Baronio IV. Nonas, idest diem Dominicam. Quamquam vero præter generales, aliae etiam Synodi feria secunda inveniantur celebratae, ut Lateranensis sub Martino; tamen certa dies Conciliorum celebratio- ni stabiliri non debet, ut ut Dominica inchoandis collationibus videatur aptior; nullibi enim lego Episcoporum libertati oppositam contrariam legem: quin Concilia Romana duo sepe a me laudata in Dissertatione, nempe Eugenii II. anno 826. & Leonis IV. anno 853. inchoata fuerunt, primum feria V. alterum feria VI. ut Cycli observatione apertum erit.*

Pag. 4. *Vestram Deo amabilem, atque conspicuam Sanctitatem in hanc sacrosanctam matrem omnium Ecclesiarum Dei Romanam Ecclesiam aggregare de diversis Provinciis studuimus. Hanc Summi*

V.
Concilii statu.

Mabillon. Mus.
Ital. to. 2. p. 395.

Pag. an. 553.
num. 9.

De Synod. V.
cap. 7.

VI.
Notarii Regio-
narii, & eorum
officis.

Pontificis alloquutionem, qua æque Italos, ac Gallicanos Episcopos, eosque tam Suffraganeos, quam urbium Metropoleon, dignitate etiam Metropolitica conspicuos, se ait congregasse, satis multis in Dissertatione explanavi, demonstrans non modo Gallicanorum Præsulum obedientiam, sed & subjectionem proprio eorum ore promissam S. Sedi, adversus Hincmarum Remensem, & præcipue contra Parisiensem Archiepiscopum Petrum de Marca. Ea igitur consulenda. Pag. 5. *Christophorus Primicerius Notariorum*. Ab ipsis Romanæ Ecclesiae primordiis fuisse constitutos septem Notarios, quorum primus appellabatur Primicerius, compertum est. Hi scilicet persecutionum tempore Acta Martyrum colligebant, eratque id munus eorum præcipuum: at cesseante persequutione officium istud est factum inutile. Quamobrem S. Julius, qui Apostolicam Sedem ascendit anno 337. aliud

Anast. in S. Jul.
to. 3.

Notariis munus demandavit: *Constitutum fecit, ut nullus Clericus causam quamlibet in publico ageret, nisi in Ecclesia, & notitia, que omnibus pro fide ecclesiastica est, per Notarios colligeretur, & omnia monumenta in Ecclesiam per Primicerium Notariorum confecta celebrarentur... Instrumenta, aut donationes, vel commutationes &c. Clerici in Ecclesia per Scriniarium celebrarent*. Quod viguisse ostendit Blanchinus a quarto ad undecimum seculum, prolatu exemplo cessionis ex Farensi a Scrinario Sanctæ Sedis celebratae seculo undecimo. Supersedeo exempla plura ex libro Pontificali congerere unicuique obvia: at verba Primicerii Christofori de invasione Sanctæ Sedis ad Concilium, subjicio oculis; *Re-censatio, inquit, hujus peractæ causæ prolixæ est, & dum multa sunt, que referantur, exarari feci ea, que in vestri offero presentia vobis relegenda*. Ea siquidem animadverti velim, ut liqueat, an recte eruditus aliqui sugillent Autorem (quem putant Anastasium) libri Pontificalis, tanquam expilatorem Pauli Diaconi; dum omnia monumenta in Ecclesiam per Primicerium referebantur; & cura omnis Notariorum septem Regioniorum versabatur circa Ecclesiam Romanam, ejusque Patrimonium.

Ibid. pag. 8.

Ad Primicerium vero, quod attinet, non est mirum si inschismate Constantini, magna eum fuisse autoritatis Blondus agnovit: quem enim latet, Primicerium Sede vacante (alio non appellat nomine invasionis menses 13. liber Pontificalis) unum esse ex triumviris, penes quos est rerum gerendarum potestas?

Näm

VII.
Primicerii No-
tariorum, & Ju-
dicum Palatino-
rum offici.

Nam ex Diurno patet, quod transitum Pontificis nunciabant *Ex-
archo Italiæ Ill. Archipresbyter, Ill. Archidiaconus, Ill. Primicerius
Notariorum, servantes locum S. Sedis Apostolicæ*. Quin etiam a
S. Martino Papa discimus, vel absente Pontifice curam hujusmo-
di apud laudatos Triumviros extitisse. *In absentia Pontificis Ar-
chidiaconus, & Archipresbyter, locum præsentant Pontificis*. Hic
obiter Francisci Pagii notandus error afferentis, quod addeba-
tur *nomen Pontificis electi* (in epistolarum inscriptionibus) *si unus
ex illis tribus eligeretur*. Quid? & Notarii Regionarii ad Pontifi-
catus apicem ascendeant Pagio? Subdiaconos eousque perve-
nire potuisse ante Stephani III. Concilium, nempe nostrum, ut
docet, concedamus; at Notarios Regionarios, minores nempe
Clericos, tantum attigisse fastigium extra vim, ne cogitatione
quidem audeamus amplecti. Non inferior, aliquos ex Notariis,
quibus Officia Palatina id prohibentia non erant adnexa, per
ordinum gradus ascendendo, ad Petri Sedem euctos esse; A-
drianus enim Stephani III. Successor, ne longe petamus exem-
pla, ex Notario Regionario est factus Subdiaconus, quo exce-
dente est electus Pontifex, ut docemur libro Pontificali: *Eum
S. Paulus clericari jussit, quem Notarium Regionarium in Ecclesia
constituens, postmodum eum Subdiaconum fecit: & Stephanus III.
junior Papa, & ipse cernens ejusdem BB. Adriani spiritualium con-
versationum merita in Diaconi ordinem cum provexit.* At Primice-
rium Notariorum, qui erat Jūdex Palatinus, ac proinde ad gra-
dus maiores ascendere prohibebatur, ascendisse unquam ad Pe-
tri Sedem, antequam ejus officium Sacro Collegio aggregaretur
ab Alexandro III., Pagio primum docente, audio. Vereor ne
gravis sim eruditis, at mihi veniam adhibeant, non debeo quid-
quam gratis affirmare. Joannes Diaconus de Basilica Latera-
nensi in appendice Ordinis Romani apud Mabillonum, enumera-
rat Judices Romanæ Ecclesiæ, qui in libro Pontificali appellan-
tur *de Clero*. II vero sunt omnino septem Palatini, seu Ordinarii
appellati: *Primus Primicerius: Secundus, qui dicitur Secundice-
rius, qui ab ipsis officiis nomen accipiunt, qui in Romana Ecclesia in
omnibus processionibus manuatim ducunt Papam cedentibus Episcopis,
& ceteris magnatibus, & in majoribus festivitatibus octavam super
omnes Episcopos legunt lectiōnem (conferenda hæc sunt cum primo
Ordine Rom. ad ævum Stephani III. pertinente, & cum tertio
mul-*

Cap. 2. tit. 1.

Collect. Anast.
ep. 15.In S. Bened.
II. n. 3.In S. Deusd.
num. 2.Anast. scđ.
291. & 292.Mabill. Mus.
Ital. to. 2. p. 570.Idem Ord. Ro.
I. n. 12. 14. 20.
Ord. Rom. III.
num. 12.

XVI P R A E F A T I O.

multæ & ipso antiquitatis, ut constet de praxi Primicerii, & Secundicerii Notariorum, Primicerio etiam Defensorum accedente hic minime indicato.) *Tertius est Arcarius, qui p̄aeſt tributis. Quartus Sacellarius, qui Sabbato Scrutiniorum dat eleemosynam & Romanis Episcopis, & Clericis, & Ordinariis largitur presbyteria. Quintus est Protoscriniarius, qui p̄aeſt Scriniariis, quos Tabelliones vocamus. Sextus primus Defensor, qui p̄aeſt Defensoribus, quos Advocatos nominamus. Septimus Amminiculator, intercedens pro pupillis, & viduis, pro afflictis, & captivis. Pro criminalibus hi non judicant, nec in quemquam mortiferam dictant sententiam: & Romæ Clerici sunt, ad nullos unquam alios Ordines promovendi.*

VIII.
Subdiaconi ab
apice Pontifica-
tus removeban-
tur.

Baron. an. 615.

Concil. Later.
infra pag. 7.

Nunc quoniam contra doctrinam Francisci Pagii Primicerium Notariorum exclusi a dignitate summa Pontificatus, aduersus Antonium, cuius ipse utplurimum exscriptor est, autoritate Concilii nostri restituo editionis Regiae Anastasii, plurimumque Codd. MSS. in vita S. Deusdedit, lectionem *Deus dedit ex pa- tre Stephano Subdiacono*, quam Baronius non legerat, sed ejus loco in Codice, quem adhibuit, *Deus dedit filius Stephani, ex Subdiacono sedit &c.* quare doctissimus Cardinalis non potuit, quin admiraretur: *Ut Subdiaconus, inquiens, Romanus Pontifex crea- retur, nunc primum accidit.* Pagius vero, qui eam vidit, ac p̄a- terea occasionem aucupatur adversandi Baronio, eam nunc sibi haud ægre fert elabi, ut qui alias consecrationem Romani Ponti- fices a die Dominico vagari docuit, novum nunc ostendat non esse ante Stephanum III. eligere Pontificem e Subdiaconorum ordine. Quidquid sit de Liberati Diaconi autoritate, qua etiam Silverium, ante Deusdedit, fuisse electum ex Subdiacono con- tendit, en Lateranensis Concilii, quod ipse non viderat, autori- tatem certam Electionis: *Sacramentum mutuo p̄abuimus, quod nullus extra alium electionem Pontificatus egisset, sed eum, quem ex suo Consilio Divina Providentia tribuisset ex corpore Sanctæ nostræ Ecclesiæ, videlicet de Sacerdotibus, vel Diaconibus, juxta hujus Apo- stolicæ Sedi traditionem, nobis eligereremus Antijstitem.* Fatente enim eodem Pagio, passimque omnibus docentibus, quod vix Pelagius II. Romanæ Ecclesiæ Subdiaconis, & S. Gregorius M. Pelagii Successor aliis Occidentalium Ecclesiarum Subdiaconi- nomen, quotiescumque occurrat, patri Electi, non ipsi Electro- tri-

tribui oportere, ante Pelagium, sex videlicet primis Ecclesiæ seculis? Huc accedit, quod doctrinam æque constantem de Subdiaconatu ad sacrorum Ordinum dignitatem non elevato ante duodecimum Ecclesiæ seculum, Concilium idem Lateranense Pseudo-Pontificis ordinatione evidenter comprobat: *Constantinus, ajens, laicus existens cum armis Apostolicam invasit* Ibid. pag. 8.
Sedem, & Clericus in eodem Patriarchio effectus est..... Alio vero die secunda feria idem invasor Apostolicæ Sedis Diaconus forensis in Oratorio Patriarchii Lateranensis consecratus est. Quid clarius defiderari potest ad evincendum, quod Concilii nostri tempore, ac proinde ante ejusdem ætatem, Subdiaconatus minorum ordinum conditionem non excedebat? Quæ quum ita sint, fides habenda erit docentibus Pagis, ante etiam, quam Subdiaconis continentia præscriberetur, eosdem in corpore Sanctæ Romanæ Ecclesiæ comprehendi, unde Summus Pontifex eligebat? Rerum Ecclesiæ scientes appello. Nec tamen Subdiaconos contendō, minoribus Clericis, ipsisque Notariis Regionariis officio etiam Palatino conspicuis, ut Primicerius, gradu non præstisſe. Ipsa enim ab eorum institutione per seculum tertium, a S. Fabiano video præpositos iis fuisse: *Hic fecit, ait liber Pontificalis, septem Subdiaconos, qui septem Notariis imminerent.* Verumtamen pro certo habeo, Subdiaconos perinde, ac cæteros minores Ecclesiæ Clericos ab excelsø S. Sedis fastigio esse removendos.

Quamobrem Sacerdotes, & Diaconi constituent corpus Romanæ Ecclesiæ, unde Pontifex educebatur, post Presbyterorum Cardinalium titulos ad octo, & viginti amplificatos, ut infra in Dissertatione, erant omnino **X X V. 28.** Presbyteri, & septem Diaconi, videlicet Regionarii, quorum primus est Archidiaconus, cui ceteri obtemperant. Diaconos siquidem Concilii tempore, septenarium numerum non excedere testatur Ordo Romanus I. Mabillonii, cuius de ætate alii quidem aliam tueruntur opinionem, at quemadmodum ne juniores faciant Carolo Magno, prohibentur certis hisce characteribus: *Sabbato tempore Adriani institutum est, ut flechteretur pro Carolo Rege, antea vero non fuit consuetudo:* &: *Dicit orationem pro Rege Francorum: ita, ut quumque vetustiorem, additamenta passum esse fateantur oportet, quæ ipsissimam Concilii Lateranensis ætatem referantur.* Ipsum vero principium Ordinis, ita habet: *Primo omnium*

Anastas. to. 1.
fed. 21.

I X.
Pontifex non
eligebat nisi
ex Diaconibus,
aut Presbyteris
Card.

Mabill. Ord.
Rom. 1. numm.
24. & 28.

*** *ob-*

XVIII P R A E F A T I O :

*obseruandum est septem esse regiones Ecclesiastici Ordinis urbis Romæ; & unaquæque regio singulos habet Diaconos regionarios, & uniuscun-
jusque regionis acolythi per manum Subdiaconi regionarii Diacono re-
gionis sua officii causa subduntur.* Quando igitur Primicerius No-
tariorum, tanquam Judicium Palatinorum primus, alios sex Ju-
dices de Clero supra numeratos propriis in ædibus, ut constat
ex Concilio nostro, super libro Evangeliorum sacramento ob-
strinxit, ne aliquem extra corpus Romanæ Ecclesiæ eligerent,
ad quinque & triginta eos Candidatos respexit: Conciliumque
ipsum, quum decrevit, Actione secunda, ut: *Nullus unquam
præsumat laicorum, neque ex alio ordine, nisi per distinctos gradus
ascendens, Diaconus, aut Presbyter Cardinalis factus fuerit, ad sa-
crum Pontificatus honorem promoveri:* a quinque & tringita lauda-
torum numero quemquamque alium ordinem Cleri Romani ex-
clusit, præsertim Subdiaconos, quod Pagius negare non potest,
& septem Episcopos Cardinales, qui postea non ab exeunte se-
culo Portuensis Episcopi Formosi omnium primi e septemvirali
eo Collegio assumti exemplum sequuti sunt. Quam Sanctæ Ro-
manæ Ecclesiæ consuetudinem nitentem Apostolicæ Sedis tradi-
tione aliquando esse variatam Ecclesiæ rerum scientes non igno-
rant; etenim constat, vel extra Sacrum Cardinalium Collegium
electos esse Pontifices, quorum identidem reperire est aliquem
ab exeunte Seculo x. quum creatus est Gregorius quintus Saxo
Othonis III. Cappellanus, per quatuor sequentia secula. Ve-
rum quemadmodum confirmationem electi a Principe usurpatam
diu toleravit Ecclesia ob temporum difficultatem, qua de
re passim in libro Pontificali; ita ob eamdem causam aliquandiu
passa est hujusmodi traditionem variatam esse. Verum ubi pri-
mum per rerum tranquillitatem licuit, traditio Apostolicæ Se-
dis & revocata est, & sanctissime semper custodita. Sed redeo
ad Concilium.

*Pag. 7. Sacraenta populo præbuimus ob conservandas unicui-
que justicias. Ad ipsam Pontificis electionem, quod spectat,
compertum est ex libro Diurno Romanorum Pontificum fieri
eam consueuisse ævo Concilii, convenientibus, ut moris est, cunctis
Sacerdotibus, ac Proceribus Ecclesiæ, & universo Clero, atque Opti-
matibus, & universa militari præsentia, seu civibus honestis, & cun-
cta generalitate populi istius a Deo servatae Romanae urbis.* Non enim
ad

x.
Antiquæ Rom.
Pontificis electio.

Cap. i. tit. 2.

ad Sacrum Collegium contracta est ante seculum undecimum , quum Nicolaus II. decrevit , ut a solis Cardinalibus Pontifex eligeretur ; quod postea decretum ab Alexaudro III. confirmatum fuit , ac stabilitum præcipuis Cleri creatis Cardinalibus , præsertim septem iis Judicibus Palatinis , quos nuper memorabam ex Joanne Diacono , videlicet Primicerio , Secundicerio , Arcario , Saccellario , Protoscrinario , Primicerio Defensorum , & Adminiculatore . Prisci autem Romani Pontificis Electores haud mihi videntur ita leviter prætereundi , ut liberum omnibus relinquatur quidlibet de eorum gradu in posterum judicare : quum præsertim Concilium nostrum evidenter ostendat rem , quam parum videntur Recentiores eruditissimi assequuti . Qui enim sileam dum video Scriptorem veteris disciplinæ interpretari Proceres Cleri , tanquam Cardinales , eosdemqne Garnerio esse tanquam laicos ceteros ? Ratiocinia non sunt opus , ubi res per se ipsa patet . Eliebant Pontificem Clerici , & laici , & utriusque in tres classes dividebantur . De tria laicorum classe , nempe civium , militum , & universi populi , ad nos nihil , est enim perspicua . Clericorum vero divisio in tres classes , amplectebatur Sacerdotes , Proceres Ecclesiæ , & universum Clerum . Sacerdotes erant septem Episcopi Cardinales , & 28. Presbyteri item Cardinales , quorum pars inter congregatos Episcopos juxta suum ordinem sedet . Proceres Cleri , seu Ecclesiæ erant Archidiaconus , septem Judices Palatini , & siqui alii officiis Romanæ Ecclesiæ conspicui jure secernebantur a reliquo Clero , ac proinde Diaconi etiam Regionarii eisdem accensebantur . Universus demum Clerus amplectebatur Subdiaconos , Acolythos , Notariosque eos , qui nullo fungebantur Palatino officio . Sacerdotum quidem numerus , ad septem quod spectat Episcopos , certus erat , sed num. 28. Cardinalium fortasse etiam accensebantur alii Presbyteri , quorum plures uni adscriptos titulo testantur monumenta veterum , qui scilicet eidem titulo inserviebant citra Cardinalitiam dignitatem . Ptocerum vero in classem cur Diaconos retulerim , in causa sunt Concilia Romana , in quibus Diaconi secernuntur a Clero , ut e. g. in Concilio a Sancto Zacharia celebrato anno 743. *Astantibus quoque Theophilacto , Arcadio , Gemmulo , Theodoro , Stephano , & Paulo Diaconibus , vel cuncto Clero Ecclesiæ Sanctæ , alioque in Concilio post biennium :*

Infr. pag. 83.

In Diurn. cap.
1. tit. 4.

XX P R A E F A T I O.

Adstantibus quoque Diaconibus, vel cuncto Clero; quod passim videre est in reliquis. Clerum denique universum non talibus circumscriptum limitibus puto, ut praeter Subdiaconos, & Acolybos urbis regionibus assignatos, eos omnes excludendos ab electione judicem, qui clericali militiae adscripti ad alias minoris gradus promoti erant.

XL.
Electioni pra-
mittebatur ju-
xtamētum ab
omnibus pra-
standum.

Conc. Later.
infra. pag. 7.

Ebidem.

De consecratione Pontificis, quæ electionem sequitur, non est quid loquar, nam Primicerius, relato Invasoris Enthronismo de consecratione tumultuarie peracta apud S. Petrum, quæ in S. Sedem reverentia ejus erat, ne verbum quidem facit Concilio. At nonnulla electionem præeuntia, quæ ab se facta enarrat, quum de legitimo creando Pontifice agebatur; operæ pretium erit animadvertere; quum enim nostra ætate fiant eorum per quam simillima, gratum erit vetustatem tantam inspicere nostra tempora referentem, quum de Christi Vicarii electione divinitus petenda sacri Electores deliberant. Ingravescente S. Pauli valetudine deprehendit Primicerius impia Nepesini Totonis, ejusque Sectatorum consilia de Pontificali ambitu, & quæ erat ejus autoritas, convocatis reliquis Judicibus, accersitoque conjuratore Totone, machinamenta ejus elusit, quod flagitium ante cautum in Concilio Romano Symmachii, multo post Paulus IV. peculiari Bulla est detestatus. Utraque autem Constitutio præmittitur cærimoniali electionis Romani Pontificis, quibus sacramento se hodie adstringunt Eminentissimi Electores. Neque secus ab antiquis hisce Electoribus, Proceribus nimirum, qui Cleri erant classis altera, videmus factum; nam *affertis in eadem domo . . . sacramentum mutuo prebuimus &c.* Insuper, quod est præcipuum, post mortem Pontificis, antequam de Successore eligendo quidquam cogitetur, *Cardinales*, verba ipsa cærimonialis usurpo, *præfito in prima Congregatione juramento de observanda . . . una cum aliis constitutionibus, quæ legi, & jurari in ea habentus confuerunt, exequias pro ejus anima juxta ritum &c.* En autem simillimam veterum praxim eo tantum discrimine, quod ii multo plures numero, non in privatarum ædium aula congregantur, sed in amplissimo Divi Petri Templo: *Dum bœc agerentur Dominus Paulus exhalavit spiritum. Et de præsenti omnes unanimiter properantes in Basilica Apostolorum in ipso Dominico die denuo sacramenta populo præbuimus ob conservandas unicuique iusticias.*

Hanc

Hanc ego antiquam consuetudinem beneficio nostri Codicis prodeuntem eo libentius in medium attuli, quo aliorum de ea silentio compellebar credere, quod statim atque Pontifex moriebatur, unica omnium sollicitudo esset de Successore eligendo. Neque aliud, ut verum fatear, docet Diurnus: *Magna, inquit, nos tristiarum moles obstrinxerat proprio Dispensatore frustratos: sed uon diu in afflictione persistere consueta Dei nostri benignitas sperantes in se dereliquit; triduo enim nobis exiguis in oratione manentibus, ut omnium mentibus cœlestis dignatio demonstraret, quem dignum ad Successionem Apostolicæ vicis jubeat eligendum, ejus gratia suffragante, & omnium animis inspirante, in uno convenientibus nobis &c.* Nam novemdiale sacrum justis persolvendis mortuo Pontifici postea laudabiliter institutum, sollicitam de novo eligendo Pastore multitudinem tunc temporis non morabatur; quin ipsi sollicitudini admovebat calcar contentionis metus, ita ut præcipiti electioni adhibere oportuerit frenum, ut saltem tridui spatium Pontificis mortem a Successoris electione secerneret: quod testatur Bonifacii III. decretum septimo ineunte seculo. *Nisi tertio die depositionis ejus, adunato Clero, & filiis Ecclesiæ, tunc electio fiat.* Et quoniam tribus iis diebus vacandum erat jejunio, & precibus, ut fieret digna electio, raro celebres legimus pompas funebres Romanorum Pontificum. Cujus rei singulare exemplum præbet Concilium Lateranense: nam Stephanus III. referens mortem Pauli Prædecessoris sui: *Quando, inquit, Dominus Paulus Papa de hac vita recesserat, omnes eum derelinquentes, nisi ego funeris assistebam custodiā ob sepulturæ tradendum* (erat tunc Stephanus Presbyter tituli S. Cæciliæ). Tot tamen, tantisque dierum angustiis pressi, Archipresbytero, Archidiacono, & Primicerio rerum curam gerentibus, primum omnium præbebant sibi invicem sacramentum, ut supra, in Basilica S. Petri, quod a nostro Cod. discimus; deinde justis defuncto Pontifici persolutis, jejunium, & preces pro novo eligendo inchoabant. Quam profecto consuetudinem præbendi sacramenta populo, pro rata, certaque habeo; tametsi in nostro Concilio merum ejus indicium deprehendam: quippe fieri potuisse nunquam credam, ut ipso Pauli emotuali die Dominico, tot numero Electores in Basilica D. Petri congregarentur tanta perniciitate, nisi omnes concii gerendarum rerum continuo post mortem Pontificis, eo convolassent, ut hodie vi-

XII.
Idem additui.
tur.

Diurn. Pontif.
cap. 1. tit. 4.

Anast. tom. 1.
scđt. 115.

Con. Lat. infra.
pag. 4.

P R A E F A T I O.

deinuſ fieri ad audiendam pronunciationem assumti. Idque magis magisque comprobat nniversalis omnium fuga, præter Stephanum, ab Ecclesia D. Pauli extra muros, ubi supremum diem obiit Paulus; nam præsto esse omnes cupiebant functioni generaliſ sacramenti, quæ reliquiſ omnibus præmittenda erat.

xiii.
Codicis nostri
autoritas often-
ditur.

Anast. tom. 4.
pag. 227.

Muf. Ital. to. 2.
pag. 572.

Spectatis rebus præcipuis fragmenti hujus pretiosissimi ab injuria temporum vindicati, duo monenda restant ad historiam pertinentia, unum videlicet ad libri Pontificalis narrationem; alterum ad ipsiusmet Concilii certum Chronologæ mendum. Ad Anastasium, seu librum Pontificalem quod spectat, ingenue fateor, me cum utroque Pagio, & quotquot ante hunc diem de invasione Constantini scripſerunt, deceptum esse narratis in vita Stephani III. ac proinde invasionem præmisſe morti Pauli in Notis chronologicis ad Stephanum II. non enim habui codicem tempestive. Quare restituenda Anastasii lectio, juxta Codicem, nobisque danda venia meliori veterum monumento non inhærentibus. Copias igitur factiosi homines, post sacramentum in ædibus Primicerii præstitum pejerantes, introducunt in urbem Romam ipso die Dominico 28. Junii, inque cuneos militari more disperidunt. Moritur hæc inter Paulus, omnesque unanimiter, ne scelestis quidem conjuratoribus exceptis, ad D. Petri basiliacam quantocyus convolant, solenni sacramento se obstringunt pro Successore Pauli rite eligendo. Post hæc suam quisque domum revertitur, factiosi vero aciem in cuneos dispersam colligentes tumultuarii ad Lateranense Patriarchium pergunt, omnia occupant armis, Constantinum laicum faciunt Clericum, inde Primicerio Christophoro per unum ex Notariis nunciant, ut suo non desit assensu, novumque ad Electum accedat. Hæc omnia sunt peracta die Dominico. Sequenti die, nimirum feria secunda Intrusus consecratur Diaconus forensis in Oratorio ipsius Patriarchii Lateranensis S. Laurentii, quod Joannes Diaconus describit apud Mabillonum, & ita miser ille, ait Primicerius, tam terribile, ac metuendum indigne sibi Apostolatus sumpsit culmen. Hanc profecto narrationem ipsis ex Diaconorum scriptis tam in libro Pontificali, quam a nobis haustam, conferri simul velim, ut æstimetur, utra sincerior haberi debeat. In libro enim Pontificali rerum summa integra est, quin etiam earumdem prosequutio, quas referre Concilio non intererat Primicerii, enarratur.

No-

Notandum tamen est, quod liber Pontificalis contra nostri Codicis fidem testatur, Constantimum consecratum esse Subdiaconum, atque Diaconum. At Subdiaconatum nuper dicebam, non esse inter sacros Ordines relatum ante duodecimum seculum; qua de re fuse, & erudite Thomassinus in veteri & nova disciplina, quem adire quisque potest. Ante autem, quam sacrissimis accenseretur Ordinibus, eadem conditio illius erat, quæ minorum, tametsi horum principem locum semper habuit. Auferet mihi verba, & lectori molestiam Ordo Romanus priscæ Subdiaconatus conditioni conveniens. De Acolytho ordinando sic loquitur: *Prosternit se in terram cum ipso sacculo, & dat ei orationem sic: „ Intercedente beata, & gloriofa semperque Virgine Maria, & beato Apostolo Petro, salvet, & custodiat, & protegat te Dominus. Amen.* De Subdiacono: *Et se in terra prosternet, & dat ei orationem, ut supra diximus: ipsissimam videlicet, quam Acolytho. Diacono demum hæc dabatur oratio: „ Oremus dilectissimi, Deum Patrem Omnipotentem, ut super hunc famulum suum, quem ad sacram Ordinem dignatur assumere, benedictionis suæ gratiam clementer effundat, eique donum consecrationis indulgeat, per quod eum ad præmia æterna perducat. Nec prætereundum, quod quicumque is fuerit, qui Pseudo-Papæ ordinacionem amplificavit, non assequens Diaconi Forensis conditionem, adjunctum illud *Forensis* eliminavit. Reponendum igitur nostri Codicis autoritate. Estque eadem ratio de Diaconibus Forensibus, quam de Presbyteris nos docet Leo IV. dum coarctat eorumdem numerum per titulos, & Diaconias urbis effusorum; quum enim Ordinatores Episcopi Cardinales ab invasore vim passi, non ignorantur aut Presbyterum, aut Diaconum inthronizari oportere, moramque omnem scelestus invasor præcipitaret, consecrarunt Diaconum Forensem, sive extra corpus Romanæ Ecclesiæ, quod plenum erat. Cæterum Diaconos inthronizari, crearique Pontifices absque Presbyteratus mentione, & legitimorum Pontificum exempla suppetunt; Valentinus enim, & Nicolaus I. non secus consecrati leguntur Pontifices apud Anastasium: & utroque utitur exemplo Mabilionius in Commentario ad Ordinem Romanum, quem videbis hac de re.*

XIV.
Idem comprehen-
satur.

De Benef. Part.
1. l. 2. c. p. 33.

Mabill. Mus.
Ital. to. 2. Ord.
VIII. num. 1. 2.
&c.

Concil. Rom.
853. c. p. 32.

Quod

XXIV P R A E F A T I O.

X V.
Eiusdem Cod.
error Chronol.
emendatur.

Quod alterum pollicebar, mendum nempe Codicis certum, evidens est. Orditur Primicerius narrare Patribus congregatis scelestam S. Sedis invasionem a morte Pauli, quam illigat cum die 29. Junii; & infra de generali sacramento loquens praestito in Basilca Divi Petri continuo post mortem Pauli, factum id esse ait die Dominico. Nam Indictio quinta ab eodem memorata indicat emortualem Pauli annum 767. eoque anno, ut docemur litera dominicali D, dies 29. Junii erat feria secunda; non igitur diei 29. sed 28. illiganda erat Pauli mors. Propterea tamen non est, cur Primicerio rem post biennium referenti succenseamus; tum quia diem dominicum memorans se ipse arguit, tum quia in Acta Ecclesiae, ut plurimum dies depositionis referebatur, quod & Henschenius vidit in conatu Chronico-Pontificio, & quicumque librum Pontificalem serio animadverterint, perspicue intelligent; a die enim depositionis numerabantur Interponticia. At de his fusius alibi sum loquutus. Ita omnibus absolutis, quæcumque aut præfari, aut Commentario amplecti oportere constitui, restat nunc, ut Concilium ipsum, eique adnexam de congregatis Episcopis Dissertationem, quam pro meis viribus elaboravi, Eruditorum oculis subjiciam, atque eam quidem castigandam, reprehendendamque: dummodo meum erga Sanctam Sedem obsequium, studiumque ardens offusas veritati tenebras abjiciendi, æqui, bonique consulant, quod unum ab iis peto.

Anast. to 4.

CON-

CONCILIUM LATERANENSE STEPHANI III. Anno DCCLXIX.



Io. Dominicus Campiglia Inuen. delin. et sculps.

Rome Typis Io. M^o Salvioni.

In nomine Domini. Incipit Concilium D. Stephani tertii Papæ.



Nomine Patris & Filii , & Spiritus
Sancti . Regnante uno , & eadem
Sancta Trinitate cum eodem Patre ,
& Spiritu Sancto per infinita omnia
saecula , mense Aprile , die duodeci-
ma , indiccione septima .

*Ex Cod. MS.
800. circiter an-
nor. Biblioth. Ca-
pitular. Veron.*

Præpositis in medio sacrosanctis
Christi quattuor Evangelii , præsidente ter beatissimo , &
coangelico Stephano Summo Pontifice hujus romanæ ur-

A bis

bis Ecclesiæ , & universaliter tertio Papa in venerabile Ba-
silica Salvatoris Domini nostri Jesu Christi , qui appellatur
Constantiniana juxta Lateranis , *confidentibus* etiam cum
eo reverentissimis , ac Sanctissimis Episcopis : Id est

Johanne ven. Diacono Sanctæ Ecclesiæ Ravennatis
locum præsentante Sergii

*V*ulchario Archiepiscopo Provinciæ vicissenensis ,

Georgio Episcopo Ostiensi ,

Bulferamo Episcopo Meltenisi ,

Lullo Episcopo Magnantiæ ,

Gavienno Episcopo Torenorum ,

Adone Episcopo Lugdonensi ,

Herminario Episcopo Vethoricæ ,

Daniele Episcopo Narbonensi ,

Hermenberto Episcopo Joahione ,

Verabulpo Episcopo Burtevulgi ,

Erlulfo Episcopo Lingonicensi ,

Thilpino Episcopo Remensi ,

Giselberto Episcopo Noviomu ,

Joseph Episcopo Derzonæ ,

Lanfrido Episcopo Castræ ,

Aurinando Episcopo Tuscanæ ,

..... Balneo Regiensi ,

Petro Episcopo Polonii ,

Felerado Episcopo Lunensi ,

Theodoro Archipresbytero & Petro Diacono locum
præsentantibus , *Theodori* Episcopi Papiæ Ticini ,

Petro Episcopo Cæræ ,

Maurino Episcopo Poli Martii ,

Leone Episcopo Castelli ,

Sergio Episcopo Ferentini ,

Jor-

Jordane Episcopo Signiæ,
 Adone Episcopo Ortensi,
 Ansualdo Episcopo Narniæ,
 Nirgotio Episcopo Anagniæ,
 Agathone Episcopo Sutrii,
ano Episcopo centum Cellarum,
 Theodorio Episcopo Tiburtinensi,
 Pinio Episcopo Tribus Tabernis,
 Bonifa Episcopo Privernensi,
nino Episcopo Alatrico,
 Valerano Episcopo Trebe,
 Bono Episcopo Manturianensi,
 Gregorio Episcopo Silvæ candidæ,
 Eustratio Episcopo Albano,
 Potho Episcopo Nepesino,
 Cidonato Episcopo Portuenisi,
 Antonino Episcopo Cesinæ,
 Joanne Episcopo Fentiae missis a prædicto Sergio
 Archiepiscopo Ravennæ,
 Stabilino Episcopo Pensauri,
 Mauro Episcopo Fanensi,
 Juviano Episcopo Gallis,
 Georgio Episcopo Senogalliaæ,
 Sergio Episcopo Ficulensi,
 Sabbatio Presbytero locum præsentante Tiberii Epi-
 scopi Ariminensi,
 Florentino Episcopo Eugubii,
 Gregorio Presbytero & locum præsentante Temau-
 rini Episcopi Orbiniæ,
 Cidonato Episcopo Villitriæ; seu venerab: Presbyteris,
 Gregorio Archipresbytero,

Theophi Presbytero,
Eustachio Presbytero,
Clemente Presbytero,
Donato Presbytero.

Armogenio Presbytero,
Theophilacto Presbytero, &
Theodosio Presbytero, adstante etiam

Anastasio Archidiacono, & cunctis Religiosis Dei
famulis tam Latinorum Monasteriorum, vel Græcorum
Cynoviorum, atque proceribus Ecclesiae, & cuncto Cle-
ro, Optimatibus etiam militiae, seu cuncti exercitus, &
honestorum Civium, & cunctæ generalitatis populo.

Stephanus Episcopus sanctæ catholicæ, & Apostoli-
cæ romanæ Ecclesiae dixit. Sanctissimi fratres, & con-
sacerdotes, ideo vestram Deo amabilem, atque conspi-
cuam sanctitatem in hanc sacrosanctam matrem omnium
Ecclesiarum Dei Romanam ecclesiam aggregare de di-
versis Provinciis studuimus, ut de invasione, & nova te-
meritatis præsumptione, quæ per Constantinum, & ejus
sequaces huic apostolicæ sedi irrepit, subtile rei meritum
perscrutari jubeatis, & secundum sanctorum Canonum,
atque probabilium Patrum decreta, id, quod æquitatis
exigit ratio, decernere studeatis.

Sanctum Concilium respondit: veniant in nostri præ-
sentia hi, qui eum elegerunt, atque enormiter consecra-
verunt, & dicant; qualiter se rei habet qualitas, ut scia-
mus, quid exinde canonice cum Dei auxilio decernamus.

Sanctissimus, ac ter beatissimus Stephanus summus
Pontifex, & universalis Papa dixit. Ego de hac causa nul-
lam habeo scientiam, quia quando dominus Paulus Papa
de hac vita recesserat, omnes eum derelinquentes, nisi ego
fu-

funeris adsistebam custodiam ob sepulturæ tradendum . Sed ecce dilectus filius noster Christophorus Primicerius , quæ scit , ea dicat .

Tunc ingressus sanctissimus vir Christophorus Primicerius Notariorum sanctæ Sedis apostolicæ adsistens in medio venerandi Concilii , dixit . Sanctissimi Patres & Clerum , recensatio hujus peractæ causæ prolixa est , & dum multa sunt , quæ referantur , exarari feci ea , quæ in vestri offero præsentia vobis relegenda . Et accipiens ea Vviliarius Deo amabilis Archiepiscopus Galliarum , tradidit ea Leoncio Notario Regionario , & Scriniario relegenda . Et ingressus in medio idem Scriniarius cuncta relegit , cuius iste est textus . Christophorus Primicerius Notariorum sanctæ Sedis apostolicæ ex persona universalis Dei sanctæ Romanæ Ecclesiæ , & totius Cleri dixit : quanto jocunditatis gaudio sancta universalis Dei pollet Ecclesia , evidentius nunc rei meritum demonstrat , & spiritalis supernæ considerationis hujus angelici Collegii dum talia præcipua , & a Deo inlustrata ob sui defensionem pariter conspicit aggregata luminaria egregii Dei cultores divino accersitam nutu præsentiam . Inter quos velut splendifissimus Sol Domne sanctissime Præful , & universalis Papa , miro splendore rutilas , qui Apostolorum principis beati Petri promeruisti perfrui sedem . Vos enim estis solertissi Dei cultores secundum sanctorum Patrum traditionem , membra hujus sacrosanctæ romanæ Ecclesiæ , quæ capud , & principatum omnium Dei Ecclesiarum existit , & opportet vos vestro *capiti* sincerissimo mentis affectu , & ex intimo cordis annisu obtemperantes ea , quæ pro quiete ejusdem Dei respiciunt Ecclesiæ magnopere spiritali profligare intuitu perpendentes illut , quod

Scriptum est... si caput sanum fuerit, & cætera membra sana efficiuntur, credendum quippe est, quoniam & ipsi Angelorum chori pariter cum omnium Sanctorum cœtu inefabili nobiscum gratulantur lætitia cernentes omnium vivificatorem Spiritum Sanctum huic sacratissimo adesse Concilio, quoniam ipsius testatur præsentia Congregatio Sacerdotum.

Stephanus sanctissimus, ac beatissimus Episcopus sanctæ Dei Ecclesiæ catholicæ, atque apostolicæ urbis Romæ dixit. Divina illustratione informatus dilectus filius noster Christophorus Primicerius ea nos adgreditur, quæ profecto ad magnam sanctæ Catholicæ, & apostolicæ toto orbe diffusæ nostræ romanæ Ecclesiæ vigoris censuram, & olitanam ejus traditionem pertinere noscuntur: & nimirum constat, quod inter cætera spiritualium operum studia illa præferenda sunt, quæ ad salutem proficiunt animarum, subsecuntur enim prospera, si primitus quæ Deo sunt cariora perficiantur.

Universi venerabiles Episcopi dixerunt. Subtili refertione sanctissimus vir Christophorus Primicerius Notariorum sanctæ sedis apostolicæ nobis ædicat ea quæ brachio fortia transgressoribus & apostolicæ sedis invasoribus diabolica instigatione perpetrata sunt, & nova præsumptio huic sacro sanctæ romanæ inrepsit Ecclesiæ; quatenus liquido agnoscentes rei qualitatem obtime instrui valeamus ea, quæ fas exigit decernere, & secundum sanctorum Patrum, & Canonum instituta determinare.

Christophorus Primicerius Notariorum sanctæ sedis apostolicæ verba faciens universalis Dei romanæ Ecclesiæ, & totius Cleri dixit. Contigit per transactam quintam Indiccionem mensē Junio die vicesima nona sanctæ recordacionis domnum Paulum Papam de hac luce divina vo-

catione fuisse subtractum . Dum vero in eadem decumberet infirmitatem , de qua & vitam finivit , illico arreptus a Diabolo quidam Nempesini oppidi ortus Toto nomine cum suis germanis , atque aliis nefariis complicibus nitebantur eum interficere , quod mea infelicitas audiens hoc fieri prohibui , & convocato eodem Totone , vel reliquis Judicibus in domucellam meam , salutaribus eos adgressus sum monitis , & validis exortatus sum adjurationibus a tanto reautus flagicio caveri : & vix tandem aliquando eorum procacissimam valui flectere mentem , ne in tali tan-
toque se inmiscerent piaculo . Post hæc vero affertis in eadern domo pusillitatis meæ sacroſanctis Christi quattuor Euangeliis , & venerabili Chrismate , & cæteris Dei my-
steriis , sacramentum mutuo præbuimus , quod nullus extra alium electionem Pontificatus egisset , sed eum , quem ex suo consilio Divina Providentia tribuisset ex corpo-
re Sanctæ nostræ Ecclesiæ , videlicet de Sacerdotibus , vel Diaconibus juxta hujus apostolicæ sedis traditionem nobis eligeremus Antistitem , & præstito inter nos eodem sacra-
mento , eorum credidimus sponsioni adfirmantes , & hoc in eodem sacramenti fœdere , ut neminem rusticorum
hujus Romanæ urbis subjacentium castrorum in hanc ci-
vitatem ingredi permitteremus . Illi vero adjurantes Dei judicium , in perjurii reatum delapsi sunt , & plurem rusticorum catervam in hanc Romam intromittentes *urbem* , cœpere cum armis hostiliter cuneos constituere : & dum hæc agerentur sæpe factus Dominus Paulus *vocatus* in ju-
dicio exhalavit spiritum . Et de præsenti omnes unanimi-
ter properantes in Basilica Apostolorum in ipso dominico die denuo sacramenta populo præbuimus ob conservandas unicuique iusticias . His vero peractis , & cunctis propriis
do-

domibus revertentibus , repente adgregantes ipsi nefarius
Toto , vel ejus germanus Constantinus universam rusti-
corum cohortem , brachio forti idem Constantinus laicus
existens , cum armis apostolicam invasit sedem , & Cle-
ricus in eodem Patriarchio effectus est . Quo auditu du-
biu[m] mihi fuit credendi tam inauditam novam præsum-
ptionem , & dum ambigerem de hoc , protinus conjunxit
ad me Constantinus Notarius asserens , ita ei fuisse ab eis
præceptum , ut ad ejus electionem occurrerem , validissi-
me comminacionibus terrens , ut nisi in eodem die ad
eum properarem in magno evenissim periculo . Quod
quidem elegi magis mori , quam in ejus electionem con-
sentire , & nequaquam illuc profectus sum . Alio vero die
secunda feria idem invasor apostolicae sedis Diaconus fo-
rensis in oratorio Patriarchii Lareranensis consecratus est :
& ita miser ille tam terribile , ac metuendum indigne sibi
Apostolatus sumpsit culmen . Quod quidem ego infelix
cernens in tantam humilitatem sanctam Dei devenisse Ec-
clesiam , cotidie flumina lacrimarum ex meis fluebant ocu-
lis , & in magno lamentacionis ululatu perdurans , divi-
nam nusquam destiti exorandum clementiam , ut sanctæ
suæ subveniret Ecclesiæ . Illi autem concipientes tristiciam
cordis mei , primitus quidem interficere facientes Grego-
rium Ducem habitatorem provinciæ Campaniæ ob mei in-
teritum , & postmodum moliebant & me interficere , sed
omnipotens Dominus , qui sperantes in se , sua conti-
nua tuerit proteccione , eorum mihi manifestavit insi-
dias , & confessim confugium feci cum filiis meis in
Ecclesiam beati Petri Apostolorum principis : illicque ad-
sistens nitebatur in eisdem Constantinus variis suasioni-
bus ex eadem sacratissima apostolica eici aula ; & dum diu
im-

immineret , & nequaquam ad suum potuisset pervenire desiderium , ex eadem me eiciendum Ecclesia , ad ultimum per semetipsum ad me progressus , sacramentum nobis ante sacratissimam confessionem ipsius Dei Apostoli præbuit , secundum nostram semper acturum voluntatem , scilicet ut usque ad venerandam Paschalem festivitatem mihi filiiisque meis liceret in propriis demorari domibus , & postmodum licentiam se nobis daturum monasterium proficiendi . Igitur transacta Paschali festivitate constanter apud illum egi una cum Sergio filio meo nos debere juxta suæ pollicitacionis sacramentum monasterio absolvi gradiendum , scilicet partibus Spolitinis , in eum , qui vocatur Salvatoris Domini nostri Jesu Christi .

Explicit Codex.

„ Absoluta per Primicerium narratione , cujus sum-
„ mam legere est in vita Stephani IV. apud Anastasius , Pseudo-Papa interrogatur , quare tantum nefas
„ perpetraverit ? Ille vero professus coram omnibus , vim
Anastas. in
vita Steph.
IV. sect. 277
„ se a populo pertulisse corruens in terram , manibus
extensis in pavimento se reum , ac super numerum arenæ
maris peccasse deflebat , petens misericordiæ veniam ab eo-
dem sacerdotali consequi Concilio . Quem a terra elevare
facientes ipso die nullam de eo protulerunt sententiam .

A C T I O S E C U N D A.

Alia vero die ; videlicet tertiadecima mensis Aprilis , fer. v. denuo afferentes eum , atque interrogantes de ea-
dem impia novitate , respondit nihil novi se fecisse , dicens ;

B quia

Idem ibi.

quia ♂ Sergius Archiepiscopus Ravennatum laicus existens, Archiepiscopus factus est. Et Stephanus Neapolitanæ civitatis, ♂ ipse laicus repente Episcopus consecratus est. Dum vero talia isdem Constantinus persequeretur, illico irati zelo Ecclesiastice traditionis universi Sacerdotes alapis ejus cervicem cedere facientes eum extra eamdem Ecclesiam eicerunt.

* *Combustis.* Tunc * detectis omnibus ejus rationum gestis, simul ♂ Concilio illo, quod in scriptis de ejus quasi confirmatione editum fuerat, igne combusserunt in medio presbyterii ipsius Ecclesiæ. Et hoc factō projiciens se in terram Sanctissimus Stephanus Papa cum universis Sacerdotibus, ♂ populo Romano, clamantesque Kyrie eleison cum ingenti fletu, peccasse se omnes professi sunt pro eo, quod de manibus ipsius Constantini communionem suscepissent, sicque ex hoc omnibus indicta est poenitentia. Tunc allatis sacratissimis Canonibus, eisque liquido perscrutatis, prolata est sententia ab eodem sacerdotali Concilio sub anathematis interdicto.

Dicit. 79. Nullus unquam præsumat laicorum, neque ex alio
cap. 4. *Idem seq.* ordine, nisi per distinctos gradus ascendens, Diaconus,
178. aut Presbyter Cardinalis factus fuerit, ad sacrum Pontificatus honorem promoveri.

A C T I O T E R T I A.

Lucas Holstenius Collect. Rom. pag. 257.
ex Anselmo libr. vi. cap. xxiv. & seqq.

Luc. Holst. *Coll. Rom.* *pag. 257.* **H** Esterno die prolata est sententia, quemadmodum Constantinus Apostolicæ Sedis invasor sub poenitentiæ correptione subsistere debeat.

Item

Item infra . Oportebat , ut hæc sacrosancta Domina Dist. 79.
cap. 3.
nostra Romana Ecclesia , juxta quod a Beato Petro , &
ejus successoribus institutum est , rite ordinaretur , & in
Apostolatus culmen unus de Cardinalibus presbyteris , aut
Diacomibus consecraretur .

Item . Sed & hoc sub anathematis interdictionibus decernimus , ut nulli unquam laicorum sive ex manu armata , vel
ex aliis Ordinibus presumant inveniri in electione Pontificis : sed a certis Sacerdotibus , atque Proceribus Ecclesie ,
& cuncto Clero ipsa Pontificalis electio proveniat . Et priusquam Pontifex electus fuerit , & in Patriarchium deducetus , omnes Optimates militie , vel cunctus exercitus , &
cives honesti , atque universa generalitas populi hujus Romanæ urbis ad salutandum eum sicut omnium Dominum properare debeat . Et ita more solito decretum facientes , &
in eo cuncti pariter concordantes subscribere debent . Hoc itaque & in aliis Ecclesiis sub divini judicii obtestatione
decernimus observandum .

De castris autem Tusciae vel Campaniae , vel de aliis locis nullus audeat Romanam ingredi , nec a quopiam invitentur , aut infra civitatem introducantur . Sed nec quisquam ex servis tuis Cleri , quinxque militie in eadem electione inveniatur ; nec ullus penitus cum armis , & fustibus .

Epistolarum Ratherii ex Monacho Lobensi , Veronensis Episc. epist. 2. Rom. Eccl. directa ab universo Cle-
ro Veronensi , apud Acher. Spicil. to. 2. hujus Actio-
nis III. prosequutionem exhibit , seq. Decreto .

Post hæc vero Sanctissimi Episcopi dixerunt . Quo-
niam hæc omnia Deo annuente , que ad salutem omnium errantium pertinent , tractita noscuntur , atque decreta ; nunc restat , ut de ordinatione Episcoporum , Presbyterorum , vel

Diagonorum, quam prædictus Constantinus Apostolice Sedi invasor peregit, id quod communi consensu tractavimus, coram omnibus declaremus. Primum omnium decernimus, ut Episcopi, quos consecravit, siquidem Presbyteri prius fuerunt, aut Diaconi, in eodem pristino honore revertantur, & postmodum facto more solito Decreto Electionis eorum ad Sedem Apostolicam, cum plebe, atque decreto ad consecrandum eveniant, & consecrationem a nostro Apostolico suscipiant; ac si prius fuissent minime ordinati. Sed & qui alia in sacris officiis isdem Constantinus peregit, præter tantummodo baptismum, omnia iterentur. At vero Presbyteri illi, vel Diaconi, quos in hac Sancta Romana Ecclesia ordinavit, in pristino Subdiaconatus ordine, vel alio, quo fungebantur officio, revertantur. Cum & postmodum in vestre Sanctissimæ Almitatis potestate, sive eos ordinandi, sive ut vobis placuerit disponendi: laici vero illi, qui ab eo tonsorati sunt, atque consecrati, decernentes statuimus, ut aut in monasterio retrudantur, aut in propriis domibus residentes, spiritalem, atque religiosam vitam degant.

A C T I O Q U A R T A.

*Quæ extant, Lucas idem Holstenius edidit
collect. Rom. pag. 261.*

De Veneratione Sacrarum Imaginum.

I ad Sanctorum consortium venire optamus; profecto hic omnia in honore Sanctorum, sive reliquias non solum corporum, sed & vestimentorum, sive Basilicas nominibus eorum memoratas, seu etiam imagines, & vultus illorum in quolibet loco depictos celeberrimo honore venerari debemus.

Item.

*Luc. Holst.
Coll. Rom.
pag. 261.*

Item. Pavendum est, ne sub iconum occasione ad pejora se se status male assertionis erigat, & corpora Sanctorum, & reliquias Martyrum adorari tamquam membra Domini, ac venerari prohibeat.

Item. Interrogatio Antiochi ad Sanctum Athanasium.
Quomodo vos facitis imagines, & adoratis eas? Responso.
Non sicut Deos imagines adoramus nos fideles, absit, sicut pagani: sed tantummodo affectum, & caritatem anime nostre ad vultum faciei imaginis aptamus. Unde & multoties vultu deleto, sicut lignum purum, atque commune jam, quod dudum fuerat imago, comburimus.

Item. Crucem pro Crucifixo in ea Christo adoramus, & amplectimur fideliter.

Item. Si quis Sanctas Imagines Domini nostri Iesu Christi, & ejus Genitricis, atque omnium Sanctorum secundum Sanctorum Patrum statuta, venerari noluerit, anathema sit.

L. Canones Apostolorum tantum suscipiendos.

Item. Non amplius suscipiantur Apostolorum Canonum prolata per Sanctum Clementem, nisi quinquaginta Capita, que suscepit Sancta Dei Catholica Romana Ecclesia.

Statuta contra vim, & ambitum.

Item. Si quis ex Episcopis, vel Presbyteris, vel Monachis, aut ex Laicis contra Canonum, & Sanctorum Patrum statuta prorumpens in gradum majorum Sanctae Romanæ Ecclesiæ, idest Presbyterorum Cardinalium, & Diaconum ire presumperit; & hanc Apostolicam Sedem

Dist. 79.

Cap. 5.

invadere quilibet ex supradictis tentaverit, & ad summum Pontificalem honorem ascendere voluerit; ipsi & sibi faventibus fiat perpetuum anathema.

Item. *Si quis cum armis in electione Pontificis, vel aliorum Sacerdotum inventus fuerit, anathema sit.*

Item. *Si quis iurare, aut introducere in hanc civitatem Romæ præsumperit quemquam de quacumque civitate, aut castro, vel loco Pontificis prius discessum, quounque in Sede beati Petri Pontifex ordinatus fuerit, anathema sit.*

Item. *Si quis resistere præsumperit Sacerdotibus, atque Primitibus Ecclesiae, vel cuncto Clero ad eligendum sibi Pontificem, secundum hanc canonicam traditionem, anathema sit.*

Ex Anaft. Biblioth. Ibid.

Anaft. ibid.
secl. 281.

Expletis vero omnibus, que in eodem Concilio promulganda erant, tunc isdem beatissimus Pontifex aggregans universos Sacerdotes, atque Clerum, & cunctum populum profecti sunt ad beatum Petrum Principem Apostolorum cum hymnis, & canticis spiritualibus, nudis pedibus incedentes, illicque in ambonem ascendens Leontius Scrinarius, cuncta que in eodem peracta sunt Concilio extensa voce legit populo. Sed & tres Episcopi, idest Gregorius Silve Candide, Eustratius Albanus, & Theodosius Tyburninus in eodem præfatæ Ecclesiae ambone ascendentibus anathematis obligationem protulerunt, si quisquam præsumat quoquo tempore transgredi quipiam de omnibus, que in eodem Concilio statuta sunt.

D I S-

DISSE

R T A T I O

De Concilio Lateranensi.

S T E P H A N I I I.

IN-

I N D E X

C A P I T U M.

C A P. I.

Provinciæ tum Civiles, tum Ecclesiastice Galliarum, & Italie Concilii tempore. pag. 17.

C A P. II.

Sedes Episcoporum Franciæ, qui Concilio Lateranensi adfuerunt. pag. 41.

C A P. III.

Sedes Episcoporum Tuscæ atque Campaniæ, & Provinciæ Italie, qui adfuerunt Concilio Stephani III. pag. 72.

C A P. IV.

Nomina duo, & quinquaginta Episcoporum, qui adfuerunt Concilio Lateranensi. pag. 97.

DISSE

TATIO¹⁷

De Concilio Lateranensi Stephani III.

C A P U T I.

*Provincie tum Civiles, tum Ecclesiastice Galliarum,
& Italiae Concilii tempore.*



Ræclarum sane monumentum subordinationis Gallicanorum Præfulum Sanctæ Sedi in lucem prodit. Papa Stephanus III. Concilium Romæ habitus, in quo Constantinus Apostolicæ Sedis invasor deponendus erat, sacrarumque Imaginum veneratio adversus græcam impietatem afferenda: *Direxit in Franciæ partes ad excellentes viros Pipinum, Carolum, & Carolomanum Reges Francorum, & Patricios Romanorum, Sergium Secundicerium, & Nomenclatorem deprecans, atque adhortans eorum excellentiam per suas Apostolicas literas, ut aliquantos Episcopos dirigerent ad faciendum in hac Romana Urbe Concilium pro impia novi erroris, ac temeritatis præsumtione, quam Constantinus Apostolicæ Sedis pervasor ausus est perpetrare. Eisque in hanc Romanam Urbem conjungentibus mense Aprilis Indictione VII. protinus antedictus Stephanus Sanctiss. Papa aggregans diversos Episcopos Tusciae atque Campaniæ, & aliquantos istius Italiae provinciæ, Concilium celebravit.*

I.
Stephanus III.
Gallicanos Episcopos ad Concilium vocat.

Lib. Pontific. in Steph. III.

Hanc Romani Concilii historiam ex libro Pontificali häuserunt multi: provincias vero, sedes, nomina, & numerum Episcoporum convenientium tum ex Francia, tum ex Italia, nemo usque ad hunc diem ex tanta, qua obruebantur vetustate, eduxit. Franciæ quidem Episcopos edidit Pater Jacobus Sirmondus e Schedis Onuphrii, licet non integræ; nam Meldensis in Schedis filebatur, numerumque duo-

II.
Episcoporum Gallicæ, & Italiae numerus, provinciæ, sedes, nomina, hucusque incerta.

decimum implebat Joseph incertæ Sedis , quem fuisse Dertonensem hodie discimus ; ac proinde Conciliorum Collectores , Sammarthani , aliquique eruditissimi viri Sirmondum sequuti , omnes decepti sunt . Italiæ vero Antistites infelicio ri usi sunt fortuna ; nam quatuor , aut quinque exceptis , qui aut in libro Pontificali memorantur , aut Concilio interfuerunt S. Pauli I. reliqui omnes , vel eruditissimum Italiæ Sacrae Scriptorem , & ejus Continuatorem præterierunt . Quamobrem facturum me esse operæ pretium scio , si edens in lucem Concilii Romani fragmentum præstantissimum , unde præ aliis certo discimus provincias , sedes , nomina , numerunque Episcoporum tam Franciæ , quam Italiæ , qui eidem interfuerunt , nonnihil delibavero de historia tum Ecclesiastica , tum civili temporis tanto intervallo a nobis disfici ; ut lux inde aliqua Concilio affulgeat . Sed antequam de illustrando Concilio cogito , de illius convocatione , quam exemplo aliorum ex libro Pontificali hausí , aliquid dicam necesse est , quod instar proludii erit mox dicendis .

III.
Concilia ma-
ximum sunt ar-
gumentum tri-
plicis potestatis
Rom. Pontif.

Euchar. lib. 2.
cap. ult. ap. No-
ris de Synt. V.
cap. x.

Supremam Romani Pontificis potestatem in universam Orientis , & Occidentis Ecclesiam , ac præterea Patriarchalem in Tractu Occidentis , & Exarchicam in Dioecesi Italiæ , nedum audacia , & impudentia , summa esset ignoratio rerum nostra ætate in dubium vertere . Ipsi siquidem adversarii S. Sedis easdem diffiteri non audent : Nec Primate , ait Salmasius , eum Italiæ specialem , nec Occidentis fuisse Patriarcham , sed eamdem omnino & in Oriente potestatem habuisse olim , quam in Occidente , eamdem porro & in qualibet Occidentis provincia , quam in Italia . Multis profecto , & præclaris trinam hanc potestatem argumentis persequi antiquos , numerosque Scriptores compertum est : nullum tamen aut firmius , aut evidentius argumentum Conciliis suppetit . Dum enimvero immensum universali Ecclesiæ vulnus inflictum ab impia hæresi tractandum fuit , ipsamque hæresim profligari , ac sanum dogma stabiliri oportuit , Concilium œcumenicum est celebratum . In eo vero Summus Pontifex aut per se , aut per Legatos vel meros Presbyteros Patriarchis ceteris præsidet , decernit , deliberata probat , improbatve , intercedit , Concilium a recto tramite declinans dissolvit , quod co-

eodem, aut ejus Legatis secedentibus, in latrocinium vertitur; quin etiam vel recte absolutum confirmationis Pontificiae indiget, ut legis Ecclesiastice vim acquirat. Perinde quum aliqua in Occidentalis Patriarchatus Dioecesi, seu maxime regno, Ecclesiæ disciplina pessum datur, pervertuntur sacri Canones, Christiana ipsa religio periclitatur, Romanus Pontifex Patriarchali jure utens, aut alicui ex ejus Dioecesis Episcopo suas vices delegat, aut tali munitum autoritate aliquem Roma mittit, qui Episcopis cuiuscumque jurisdictionis congregatis Concilium celebret, cunctisque Dioecesis in commodis remedium afferat: sive etiam quum gravissimam aliquam causam Romæ expendere lubet Pontifici in Patriarchali Concilio, aut Dogma, & Regulas pro tota Ecclesia in eodem definire, ut norma sint definiendorum in generali Concilio, ex quacumque libuerit sui Patriarchatus Dioecesi Metropolitanos, Suffraganeosque nullo discrimine accessit, Conciliumque habet. Denique in Italiae Dioecesi, aut ex amplissima Romana Provincia jure Metropolitico, aut Exarchico ex tota Italia evocatis Episcopis pro levioris, graviorisve momenti negotiis, Concilium celebrat. Quare ad triplicem Romani Pontificis potestatem comprobandum, nullum, inquam, apud veteres, recentioresque argumentum firmius, aut evidentius Conciliis occurrit.

Verum, ut multa sint primi, & tertii generis Concilia; Oecumenica enim xx. numerantur, & Episcoporum universæ Italæ multo plura, quæ ab aliis Romanis secerne re per se quisque potest; secundi tamen generis neim Patriarchalia sunt rariora. Quæ enim semper fuit summa Romanorum Pontificum suavitas, ne fratres suos Episcopos longe dissitos itineribus fatigarent, Apostolica ut plurimum potestate alicui delegata, vel in gravissimis Ecclesiæ negotiis per Dioeceses, quandoque etiam per Provincias, Episcoporum animos explorabant. Estque exemplo Concilium Romanum Agathonis 125. Episcoporum anno 679. celebratum, cui non solum pauci aderant transmontani Episcopi, siue fortuito agentes Romæ, verum multi ex ipsa Italia deerant, ac proinde tam in Anglia & Galliis, quam ipsa in Italia per privata Concilia sententia Episcoporum contra

IV.
Quanta cum
circumspeditione
Ro. Pont. evo-
cabat Episcopos
ex aliena Dio-
cesi.

DISSERTATIONIS

Monothelitas deponita est. Huc accedit maxima eorumdem Pontificum moderatio erga Principes, quum de Romanis evocandis eorum Ditionis Episcopis agebatur; neque enim fecerunt poterant, dum saepe ingruentibus undequaque bellis, crebrisque invasionibus turbata omnia erant. Quamobrem S. Papa Martinus aliquot ex Francia Episcopos ad Urbem Regiam legatus, sic Traiectensem Episcopum B. Amandum

Concil. Later. S. Mart. I. Se- cret. 5.

alloquitur: *Sigebertum praecellentissimum filium nostrum Regem Francorum pro sua Christianitatis remedio consultissime admone, atque precare, dirigere nobis ex corpore Fratrum nostrorum dilectissimos Episcopos, qui Sedis Apostolicæ legatione divina concedente propitiatione fungi debeant, & quæ in nostro Concilio perfecta sunt, cum his synodalibus apicibus vestris ad clementissimum Principem nostrum sine dubio asportare &c.* Nec solum ex aliena Dioecesi, sed ipsa ex Dioecesi Italica, immo ipsa ex Provincia Romani Metropolitæ, nempe ex Sicilia, antequam ulla in ea Metropolis excitaretur, S. Gregorius Magnus multa utitur circumspetione in propriis Suffraganeis accersendis: *Quia, inquit Cypriano Insulæ Rectori pro S. Sede, jam diu est, quod hoc minime convenerunt, eos hortari te volumus, ut natalem S. Petri hic Deo perducente nobiscum debeant celebrare. Sed ne forte Prætori aliqua possit nasci suspicio, si eos hoc admonitos venire cognoverit: voluntatem nostram intelligens ita hoc ex te facere stude, ut & ipsi, sicut prediximus ad diem constitutum hoc veniant, & nulla de eis Prætori possit esse suspicio.*

V.
Idque, ut con- cordiam serva- ret Sacerdotii, & Regni.

Christ. Lup.
Schol. in C. 17.
Conc. VIII.

Hæc potissima ratio est, cur Stephanus III. Patriarchale habiturus Concilium in gravissima causa, suorum exemplo Prædecessorum, Legati officio utitur apud Francorum Reges: neque enim ignorabant prisci Pontifices; Romanam evocandi potestatem, ut viri eruditissimi utar verbis, esse omnino Divinam Domini nostri Jesu Christi Legem, ideoque pro illa, ut Euangelico Dogmate fundamentali Apostolicam Sedem semper laborasse. At quemadmodum ad totius Catholici orbis Hierarchiæ subordinationem conservandam, Principum, qui sunt exterius Ecclesiæ brachium, concordia opus est Romano Pontifici; ita hic nullo unquam tempore illorum auctoritatem contempsit, immo vel præcipuis Ecclesiæ sanctio-

nibus consensit eorum confirmationis robur accedere. Quam Sacerdotii & Regni concordiam, quam s^ep^e Archiepiscopus Parisiensis arbitratu suo interpretetur, non erit abs re unicam ex tot fallaciis indicare, quas nobis struit. Contendit vir doctissimus, Canonem XVII. Concilii generalis VIII. quo Metropolitæ inobedientes suo Patriarchæ, segregari, & contumaces deponi jubentur, esse factum *adversus Episcopos Gallicanos juxta suggestiones Legatorum Pontificiorum, ut a Concilio Oecumenico firmata esse videretur Nicolai I. nova molitio sexennio ante prolata*. At minime animadvertisit, quod centum ante annos, ad Stephani III. Concilium lubentissime venerunt Metropolita Senonensis, qui nuper donatus fuerat Pallio a Romano Pontifice, cumque eo sex alii Metropolitanarum Sedium Episcopi, qui postliminio in suas dignitates redire avehant per Romanum Pontificem, ut postea redierunt, unde in maxima Gallicanæ Ecclesiæ perturbatione ejecti fuerant: neque ii quidem, accisis eorum rebus, recusarunt ad Concilia Romani Patriarchatus cogi, impositasve Italiæ Episcopis conditiones detrectarunt, ut Marcha ja^cstat. Quæ obiter dicta velim intelligi, ne alicui videar profligatam jam quæstionem recoquendam suscepisse. Ad Concilium siquidem Stephani III. quod spectat, non pauca illustrari oportet, quæ cominus rem attingunt. Itaque præfatum me esse satis agnoscens, ad institutum aggredior. De Provinciis igitur Episcoporum acturus ostendam primum, cur unus tantum Senonensis vocetur in Concilio Provinciæ Galliarum Archiepiscopus, adversus nonnullos, qui de Primatu nescio quid mussitant, ac proinde de Gallicanis Provinciis aliquid dicam. Deinde vero Italiæ nostræ Provincias enucleatius expendam; præsertim, quas memorat liber Pontificalis Provincias, *Tusciam atque Campaniam, & Italiam*: est enim qui, eudem librum interpretans, docet, *ex aliis Italiæ Provinciis convocatos Episcopos*. Quare occasionem nactus Concilii hujus illustrandi, hæc duo, quam potero brevius ostendam: inter duodecim Francorum Episcopos unicum fuisse Metropolitam Vvillicarium Senonensem, & Italos Episcopos recte convocatos dici ab Anastasio ex Tuscia atque Campania, & ex Italia Provincia. Ac primum de Galliarum Provinciis.

Marca de Conc.
Sac. & Imp. I. 6.
cap. 15.

Franc. Pag. in
Steph. III. n. 3.

V L.
Provinciae Ci-
viles Diœcesis
Galliarum.

Post celebrem Romani orbis divisionem , quam Constantianam appellant , tametsi ab Adriano ante Constantium excoigitatam , aliisque ab Imperatoribus postea amplificatam , qualem exhibet notitia Imperii ; post eam , inquam , divisionem , una ex tribus Diœcesibus , quæ Præfecto Prætorii Galliarum parebant , Gallia spectabili Vicario commissa septemdecim , qua Consulares , qua Præsidiales , Provincias continebat . Quemadmodum vero ad eum numerum venerint modo expediam . Antiquata per Octavianum tripertita Cæsaris divisione , Gallia omnis in partes quatuor dividebatur , Narbonensem , Aquitanicam , Lugdunensem , Belgicam . Hanc Constantinus , quum pace Ecclesiæ reddita , Sedequa Imperii translata Byzantium , inter quatuor Præfectos Prætorii Romanum orbem divisit , longe auxit , unaquaque ex iis partibus in plures Provincias divisa , itaut omnino quatuordecim fierent . Ex Narbonensi nimirum fecit quatuor , Narbonensem , Viennensem , Alpes Maritimas , Alpes Grajas & Penninas : ex Aquitania tres , Aquitaniam I. , Aquitaniam II. , Novempopulanam : ex Lugdunensi item tres , Lugdunensem I. , Lugdunensem II. , Maximam Sequanorum : ex Belgica demum quatuor , Belgicam I. , Belgicam II. , Germaniam I. , Germaniam II. Quatuordecim harum Provinciarum numerus Valentiniani senioris tempore a Gratiano Augusto amplificatus , eas septemdecim Provincias amplexus est , quæ passim in notitiis leguntur : biperto scilicet divisis Narbonensi , & utraque Lugdunensi .

VII.
Alia alii tem-
poribus habue-
runt nomina , at
semper fuerunt
XVII. post Con-
stantini divisio-
nem .

Civilem hanc Galliarum dispositionem semel , iterumque mutatam Concilia , & Pontificum Romanorum epistolæ testantur ; nam primo in Gallias , & quinque Provincias , Galliam ipsam divisam legimus usque ad annum 401. quum Taurinense Concilium celebrabatur : deinde alias divisionis mentio occurrit apud Zosimum anno 417. in Gallias & septem Provincias , quæ quidem perseveravit , quoad Austrasiæ , Neustrasiæquæ , & Burgundiæ nomina per seculum sextum emersere , in duo , plurave regna divisis Galliis . Postremæ hæc divisio in Gallias , & septem Provincias , quæ & Honoriana dicitur , eo præfertim est celebris , quod septem iis Provinciis , Septimaniam , seu Occitaniam , quam hodie di-

ci-

cimus Linguadocium, constituit, belli magis, quam pacis artibus usque ad Carolingios celebrem: cuius magnam partem quarto seculo invadentes Gothi, unde & Gothiæ nomine adepta est, Hispaniæ Regno adjunxerunt; octavo autem seculo Saraceni in eam irrumptentes omnia miscuerant, nisi Carolingiorum virtus crebris, cruentisque bellis profiliatos, inde tandem expulisset. Ad nos vero quid attinet Septimaniæ vices, præteritamque earum memoriam repetere? Ecclesiasticam enimvero dispositionem spectantibus duæ primæ divisiones satis sunt, & mox laudatæ in Gallias, & quinque, deinde etiam septem Provincias, quippe quæ nomine tenus diversæ sunt, septendecim Provinciarum numerum non augent, minuuntve. Ac proinde Civilis ea notitia, quæ apud Sirmondum, & Carolum a S. Paulo, juxta Honorianam dispositionem exhibetur, eadem omnino est, ac quæ Imperii dicitur, si in septem Provincias distinctio auferatur, variatusque earum ordo restituatur. Præterquam quod Recentiorum discrepantia tum de primordiis, tum de Provinciarum numero Honorianæ divisionis, longius quam par esset, a proposita nos quæstione abire compelleret.

Civili Galliarum dispositione cognita, facili negotio afsequimur Ecclesiasticam. Si enim Germaniæ duæ excipiuntur, in quibus nullæ fuerunt Metropoles ante S. Bonifacium earum Apostolum octavo Ecclesiæ seculo, reliquas Provincias quindecim & Civiles, & Ecclesiasticas fuisse ante Majorum domus Franciæ præpotentiam, compertum est. Carolus quidem a S. Paulo & Tarantasiæ Metropolim alpium Grajarum ad Caroli Magni ævum differt, cui concinit Anonymus Mediolanensis, qui per sextum seculum, seu tempore Gregorii Magni quatuordecim tantum Metropoles Ecclesiasticas numerat: mihi autem arridet Sirmondi, aut Delalandii opinio, qui non institutam, at revocatam Caroli Magni ævo ad jus pristinum contendit. Quidquid vero sit de Tarantasia, certe, inquam, ante Majorum domus potentiam in Galliis erant Metropoles Ecclesiasticæ prædictæ, juxta Civilium veterum Provinciarum Consulares, Præsidialesve Sedes, parvo discriminè, institutæ: Arelatensis, Viennensis, Trevirensis, Remensis, Lugdunensis, Rothomagensis, Turen-

Concil. Gall.
to. 1.
Geogr. Sac.

Panciroli notit.
Occid. cap. 68.

Pag. ann. 374.
num. 23.
Morin. Exerc.
22. I. 1.

VIII.
Totidem erant
Provincia Ecclesiasticae, sal-
tem aeo Caroli
Magni.

Script. Ital.
to. x. Tab. Chro-
nogr. n. 35.

Not. ad Conc.
Francof. ann. 794.

nensis, Senonensis, Bituricensis, Burdigalensis, Elusana postea Auscensis, Narbonensis, Aquensis, & Ebredunensis. Uniuscujsque referre principia non est hujus loci. Id tantum non prætermittam, quod quatuor præ aliis Metropoles Arelatensem in Narbonensi, in Belgica Trevirensem, Lugdunensem in Lugdunensi, & in Aquitanica Bituricensem, puto cum Carolo a S. Paulo, & Emmanuel a Schelestrate esse antiquiores Constantiniana dispositione, tametsi eruditissimi aliquot viri secus sentiant: ac proinde sententiam Joannis de Segovia, & Antonii Pagii, quod nimirum in Hispania & Galliis nequicquam quæruntur Metropoles Ecclesiastice ante Constantimum, rejicio. Unde enim orta laudarum quatuor Metropoleon tot dissidia de Primatu, quem singulæ usque ad septimum seculum sibi acerrime in plures Provincias vindicarunt, nisi a Patribus institutæ essent, priusquam divisio Constantiniana normam daret Ecclesiasticis novis Metropolibus instituendis, quæ ante meræ fuerint Suffraganeæ? Cæterum nova ea cæterarum Metropoleon institutio juxta Civilem dispositionem, fuit facta autoritate Concilii Antiocheni, anno 341. celebrati; nec dubitare de eorum antiquitate nos permittunt Decretales Romanorum Pontificum, & Concilia in Galliis celebrata per tria post Constantimum secula usque ad Galliarum politiam tum Civilem, tum Ecclesiasticam Majorum domus potentia pessumdatam, de qua aliquid dicam necesse est, ut Concilio huic Lateranensi clarior inde lux afferatur.

Concil. Ant.
Canon. 9.

IX.
Civilem poli-
tiam Galliarum
Majores domus
Francie pertur-
bant.

Cæso Francorum Rege Childerico anno 673. civiles ilæ Galliarum discordiæ Ebroino Duce sunt coaptæ, quæ per Iongam annorum seriem perseverarunt. Fortasse etiam ante biennium cœperant, ut Pagius observat cum Annalista Metensi; at quum Ebroinus earum auspex, nonnisi post cædem Childerici sit egressus ex Monasterio Luxoviensi, idcirco per me biennium differuntur. Ebroino igitur Aulæ comite, seu Majore domus omnium primo sacerdium Regum nomine abutente, cumque aliis Majoribus domi de Regni juribus decertante, in Trans-Rhenana Francia ad idololatriam est redditum, multique populi, qui Francis eosque paruerant, horum jugum excutientes sequentium Majorum domus Pipini

He-

Heristallii, hujusque filii Caroli Martelli, ac filiorum Pipini, & Carolomanni virtutem exercuerunt. Hos Annalista Metensis apud Pagium enumerat, Saxones nimirum, Bajorios, Frisios, & Suavos, qui omnes ante civiles discordias Francorum ditioni erant subditi, iisdem vero ingruentibus, libertatem tuebantur armis, nec nisi crebris expeditionibus in pristinam subjectionem redigi potuerunt. Præterea Francorum Regno sic mutilato defectionibus in Orientali parte, magis etiam malum a meridie accessit, quum Saraceni, qui Hispaniarum Regnum invaserant, in Septimaniam anno 721. irruperunt, urbibusque expugnatis, eam triginta amplius annis possederunt, quoad Pipini Regis virtute anno 755. ultra Pyrenæos montes summoti sunt. Itaque trans Rhenum armis eorum, qui defecerant, potiorem Galliæ partem discordiis intestinis, ac Septimaniam Saracenis late vastantibus, ultima videbatur pernicies florentissimo illi Regno imminere.

Has Galliæ universæ calamitates præ aliis sensit Ecclesia; namque, ut multa in annalibus Francorum relata paucis complectar cum Pagio: *Non solum ab eo tempore intermis sa Conciliorum celebratio, & laicorum vita solutior fuit, sed etiam Canones exequutioni non mandati, extincta Primatum dignitas, & Metropolitanorum autoritas eversa.* Id querebatur cum Sancto Pontifice Zacharia Bonifacius Germanorum Apostolus: *Franci enim, inquiens, ut seniores dicunt, plusquam per tempus octoginta annorum Synodum non fecerunt, nec Archiepiscopum habuerunt; nec Ecclesiæ canonica jura alicui fundabant, vel renovabant.* Idque aliquanto post testatur Vienensis Episcopo Adrianus Papa, ajens, quod Gallicana Ecclesia per sexaginta, aut septuaginta, aut octoginta, & amplius annos dignitatem antiquam, & Romanorum Antistitum firmitate roboratam perdidit, & amisit. Nolim autem quis putet, Gallicanæ Ecclesiæ incommodis, & calamitati fuisse modum; eundo ea siquidem creverunt, itaut ad extremum miseram fecerint. Quod ne videar gratis afferere, in memoriam rediri cupio eorum, quæ gessit octavo seculo Pipini primi Carolingiorum Regis pater Carolus cognomento Martellus, quem constabat Ecclesiarum sitisse confusionem, ut ait

D

Chro-

Pag. ann. 67r.
num. 6.

X.
Ecclesiastica
etiam politia per
eosdem perfum-
datur.
Pag. ann. 743.
num. 5.

Cod. Bonif. ep.
132.

Labb. bibl. MSS.
to. 1. pag. 109.

Idem ibi pag.
108.

Cod. Bonif. ep. 132. Chronologus Flaviniacensis. Hujus tempore, utar verbis Bonifacii, brevitatis ergo: *Maxima ex parte per civitates Episcopales Sedes traditae sunt laicis cupidis ad possidendum, vel adulteratis Clericis, scortatoribus & publicanis seculariter ad perfruendum.*

Describit postea pessimos Diaconorum mores, vitamque omnibus flagitiis contaminatissimam, deque iis prosequitur: *Novissime, quod pejus est, sub talibus testimoniis per gradus singulos ascendentibus ordinantur, & nominantur Episcopi.* Quam late autem id malum patuerit, docet Hincmarus.

Hincm. ep. 6. Cap. 19. *rus: Tempore Caroli Principis, quando propter discordiam, & contentionem de Principatu inter eum, & Raganfredum, & frequentia ac Civilia, imo plusquam Civilia, quia intestina, & parricidalia bella, in Germanicis & Belgicis, ac Gallicanis Provinciis omnis religio Christianitatis pene fuit abolita, ita ut Episcopis in paucis locis residuis Episcopia laicis donata, & rebus divisa fuerint.*

XI. Eadem non in- flaturt ante statem Caroli Regis, postea primi Imperat. Occid. Tantas porro calamitates, quam effrenata cupiditas Majorum domus in vastissimum Francorum Regnum adverserat, misericordis Dei benignitas tandem respexit, Sanctorumque virorum prædicatione populos a viis eorum impiis revocavit. Verum Christiana Fides in Trans-Rhenanam Franciam, primævæ Ecclesiæ more, per martyria & persecutio- nes, postliminio rediit. Ecclesiastica autem disciplina, quæ vulnus tam immensum acceperat, sensim, & nonnisi Carolo, postea Magno, potiente rerum revocata. Et sane, ad disciplinam quod spectat, S. Bonifacius suscepit Germanorum legatione a S. Gregorio II. (quam eidem postea confirmarunt SS. Gregorius III. & Zacharias) anno 719. ut tenent Card. Baronius, & Joannes Morinus, sive ante annum, ut ex Vwillibaldo, & Othlono conjicit Pagius, post illustratam prædicatione utramque Germaniam, Coloniam primum in Germania II., deinde in Germania I. Moguntiam Metropoles a S. Zacharia institui obtinuit; verum Moguntina Sedes eum honorem adepta est destructione Colonien- sis, quæ illi suffraganea facta est, ut ex literis Bonifacii Baronius & Pagius observant; eademque Moguntina post S. Bonifacii mortem honore Metropolis non est frustra usque ad Adriani Pontificis tempora æqualis Caroli Magni, ut infra

Baron. 719. Mor. Exerc. 23. Libr. 1.

Bar. 751. Pag. ibid. num. 8.

fra ostendam. In Gallicanis vero Provinciis (in eorumdem scilicet Francorum Regno cis Rhenum) ad quas Bonifacii legationem extendit Zacharias, post Concilium, quod Germanicum nuncupatur, anno 742. celebratum, *ad recuperandam legem Dei, & Ecclesiasticam religionem*, tres simul Metropolitas fuisse institutos constat, Grimonem Rothomagensem, Abelem Remensem, & Hardthbertum Senonensem, necnon ad eorum firmissimam stabilitatem, & Ecclesiæ Dei augmentum, Zachariam mississe Bonifacio tria pallia. Quin etiam Suectionense Concilium anno post, nempe 744. habitum, id testatur, tametsi Grimonem filet: *Constituimus, inquit, super eos Archiepiscopos Abel, & Ardoberthum, ut ad judicia eorum de omni necessitate Ecclesiastica recurrent tam Episcopi, quam alius populus.* Quid vero? Num Gallicanæ Ecclesiæ rerum conditio melior fuit? Minime id quidem. Quamvis enim Pipinus, & Carolomannus Majorum domus extremi, & Conciliis, & suis decretis malum avertere studuerint; tamen quum Carolomannus monachum induit, rerumque omnium potiebatur Pipinus, hic regium honorem affectans, quem & assequutus est, noluit animos Procerum, auferendo iisdem Episcopatus (queis nullo jure abutebantur) ab se alienare: & Romani Pontifices, qui a Græcis, & Langobardis tunc temporis immaniter vexabantur, ne Francorum præsidium deesset periclitanti Romanæ Ecclesiæ, aliquanto suavius Gallicanæ fœdum vulnus tractare compulsi sunt.

Quamobrem nec Stephanum II. suscepito in Galliam itinere, ictove foedere cum Rege Pipino, nec successorem Sanctum Paulum confirmato eodem foedere, cum Francis conjunctissimos, ut testantur literæ ultro citroque tam frequenter missæ, quibus Pontifex uterque cum Rege, & contra Rex cum utroque Pontifice benefactis certarunt, Ecclesiæ Gallicanæ pessumdatæ levamentum aliquod attulisse compario. Immo video, Adrianum Stephani III. successorem Remensi Ecclesiæ Metropolitam restituere, quem antea S. Zacharias nequicquam instauraverat. Epistola ipsa Adriani ad Tilpinum Remensem Episcopum dubitationem omnem amovet: *Sanctæ, inquit, memoria Bonifacius Archiepiscopus & Legatus S. Romanæ Ecclesiæ, & præfatus amabilissimus Fulradus*

*Conc. Germ.
in præf.*

*Cod. Bonif. ep.
143. & 144.*

*Conc. Sueſſ.
Can. 3.*

xii.
*Idem confir-
matur autorita-
te Adriani pa-
pæ.*

*Adrian. ep. ap.
Flodoard. Hist.
Rem. l. 2. c. 16.*

Franciæ Archipresbyter , tempore antecessorum nostrorum Zachariae , & Stephani Successoris illius multum laboraverunt , ut bonæ memoriae prædecessor noster Dominus Zacharias pallium Archiepiscopo Remensi Abel nomine per deprecationem supra scripti Bonifacii transmitteret , * quod ab illo constitutus fuit , sed ibi permanere permisus non fuit , sed magis contra Deum ejectus est , & Remensis Ecclesia per multa tempora , & per multos annos sine Episcopo fuit , & res Ecclesiæ de illo Episcopatu sunt ablatae , & per laicos divisæ sunt , sicut & de aliis Episcopatibus , maxime autem de Remensi . Perinde esse de aliis duobus Metropolis , ad quos una cum Remensi pallium miserat Zacharias , non est dubitandum , nam Conventui Attiniaciensi an. 762. ut vult Pagius , seu 765. ut Cointius , celebrato , Lupus , cui successit Vvillicarius in Senonensi Cathedra , subscriptis , merum Episcopi nomen sibi tribuens . Nec vero laudatæ tantum Metropoles a S. Zacharia instauratæ , ob temporum acerbitatem evanuerunt ; sed Moguntina ipsa , quam unicam Metropolim superesse vidimus in utraque Germania ob Coloniæ interitum , jure Metropolitico non est fructa nisi Adriano Pontifice , ut constat ex mox allata ejusdem epistola ad Tilpinum Remensem , in qua ei Apostolicam impertitur autoritatem , ut de Lulli Moguntini Episcopi ordinatione cognoscat : *In jungimus etiam , inquit , Fraternitati tuae , ut quia de Ordinatione Episcopi nomine Lul Sanctæ Moguntinæ Ecclesiæ ad nos quædam pervenerunt , assumptis tecum Viomago , & Posseffore Episcopis , & missis glorioſi , ac spiritualis filii nostri Karoli Francorum Regis , diligenter inquiras omnia de illius ordinazione , & fidem , ac doctrinam illius , atque conversationem & mores , ac vitam investiges : ut si aptus fuerit & dignus ad Episcopalem Cathedram gubernandam , expositam , & conscriptam , & manu sua propria subscriptam Catholicam & Orthodoxam fidem per missos suos cum literis ac testimonio tuo , seu aliorum Episcoporum , quos tecum esse mandavimus , ad nos dirigat , ut pallium illi secundum consuetudinem transmittamus , & Ordinationem illius firmam judicemus , & in eadem S. Ecclesia Moguntina Archiepiscopum constitutum esse faciamus . Quare idem Lillus , qui ab anno 753. Sancto Bonifacio successerat , tum anno 762. in Attiniaciensi Conventu , tum 769.*

in

Flodoard. Hist.
Rem. L. 2. c. 17.

in nostro Concilio Lateranensi meri Episcopi nomine appellatum videmus.

Ceterum tanta hæc autoritas Tilpino facta , ut causas Episcoporum alienæ Provinciæ examinet , non leviter prætereunda ; quippe miserrimum Gallicanæ Ecclesiæ statum , quem nuper descripsimus , mirum in modum confirmat . Et sane in iis Regnis , ubi aut Barbarorum , aut Hæreticorum illuvie , disciplina Ecclesiæ , & Catholica ipsa Religio periclitantur , non omnium continuo Episcoporum sanctitas , studiumque ardens tuendi sacros Canones , ita intercidunt , ut eorum alicui non valeant Romani Pontifices Vicariam potestatem elargiri , qua plurium Provinciarum curam suscipiat . Estque exemplo Galliæ ipsi finitima Hispania . Hanc quinto seculo pervadentibus Barbaris , ejusque Provincias misere lacerantibus , suum munus Episcopi plures non deseruerant ; præque iis S. Turibius Asturicensis ob eximium Ecclesiæ zelum fuit dignus , cui S. Leo Magnus præcipuam committeret curam illius conservandæ : *Ad tuæ , inquit , dilectionis sollicitudinem pertinebit , ut nostræ ordinationis autoritas ad prædictarum Provinciarum Episcopos deferatur .* Ita post annos circiter duo & viginti , quum Hispaniæ Regnum moderante Eurico Ariano Romanis apprime infenso , maxima ea vigebat persecutio , *qua Catholici Ecclesiarum Episcopi loco movebantur , nullis aliis substitutis , minores Sacerdotes , sublatis Recloribus , dissipabantur &c.* Pontificem Simplicium constat demandasse Apostolicas vices Zenoni Metropolitæ Hispalensi : *Plurimorum relatu , ait Pontifex , comperimus , dilectionem tuam fervore Spiritus Sancti , ita te Ecclesiæ gubernatorem existere , ut naufragii detrimentum , Deo autore , non sentiat . Talibus idcirco gloriantes indiciis , congruum duximus , Vicaria Sedis nostræ te autoritate fulciri .* Ita quum sexto seculo ineunte Theodoricus in Italia regnans , in Amalarici minori ætate Hispaniam per Praefectos administrabat , agebaturque aliquanto mitius cum Catholicis , itaut Ecclesiasticam restitui rem posse putaret Hormilda , duobus Metropolitis Joanni Tarragonensi , & Salustio Hispalensi Apostolicas vices demandavit , ut bipertito Hispaniensis Ecclesiæ satagerent . Ita demum quando eodem sexto seculo exeunte de abjuranda in universo Regno Aria-

XIII.
In felix Galli-
canæ Eccl. con-
ditio ostenditur
exemplis .

S. Leo Magnus
ep. 93.

Jo: Maria de
reb. Hisp. lib. 5.
cap. 5.

Simplic. ep. 2.

30 D I S S E R T A T I O N I S

na hæresi cogitatum est, non ignoramus, S. Leandrum Metropolitam Hispalensem sua prædicatione Catholicam Fidem, sanctionibusque Ecclesiasticam disciplinam, S. Gregorio Magno Pontifice, instaurasse.

XIV.
Idem urgetur.

At e contrario in ea Regna, in quibus Catholica Fide penitus deleta, nullum amplius Ecclesiæ nomen auditur, aliunde quæsitos Euangeli Præcones, qui Ecclesiam instituant, deinde Episcopos, qui eam moderentur, mitti oportet. Sic Monachum Augustinum cum sociis in Angliam profectum novimus eodem Gregorio Pontifice, qui postea ipsi Augustino facto Episcopo Apostolicum Vicariatum largitus fuit, ut nullo jurisdictionis alienæ limite, ab exercendo per totam Angliam Episcopali munere removeretur. Idem fere est de legatione Germanica S. Bonifacii, tametsi ejus prædicationi S. Vvillibrordus, aliquie Episcopi in nonnullis suæ legationis Provinciis proluserant. Hæc quum ita sint, quid de Gallicana Ecclesia, ad quam oportuit S. Bonifacii legationem extendi, videatur statuendum, ignoro. Id tantum scio, quod sedente Remis Tilpino, non aliunde quæsitus est Episcopus, cui gravior causa alienæ Provinciæ (cujusmodi est cognitio ordinationis Episcopi) committeretur: sed eidem Tilpino nuperrimo Metropolitæ causa demandatur Moguntini Antistitis, successoris scilicet S. Bonifacii, qui legem dederat toti Galliæ. Unde conjicio, Gallicanam Ecclesiam non modo miseram, sed ad extremum miseram fuisse, quum Apostolicæ in ea vices S. Bonifacio sunt traditæ; quippe quæ nullum habebat Episcopum, cui custodia Canonum crederetur. Quid dico Episcopum? Omnia Ecclesiæ bona Administratoribus, & Commendatariis occupantibus, ea dignitas aut scelestis hominibus ad ludibrium data, aut, servi instar pecoris, ipsi Episcopi tantæ apud omnes gentes veneratio, traducti, & conculcati. Quare illum ipsum Abellem, cui S. Zacharias pallium miserat, vocant Veteres Co-repiscopum, utpote qui minorem quoque autoritatem habuit, quam Suffraganei Antistites. Ac proinde non moveo item aliis aliarum Galliæ Provinciarum Metropolitis, at Conventus Attiniacensis, nostrique Romani Concilii autoritate compellor id dicere, quod apertius Cap. seq. ostendam, nul-

Flodoard. Hist.
Reim. l. 2. c. 16.

nullum videlicet ex duodecim Francorum Episcopis , qui Concilio eidem affuere , Metropolitam fuisse , præter Senonensem , quem præterea quando , & a quo Pontifice obtinuisse pallium affirmem , nescio .

Verum ne ratio ulla vel minima sit reliqua dubitandi , quin recte id affirmem , animadverti velim , quod non solum Episcopi Metropoleon Galliæ mero Episcopi nomine in Concilio occurrunt , ut in Conventu Attiniacensi ; at omnes concedunt loco Meldensi Episcopo Suffraganeo Archiepiscopi Senonensis , hoc uno excepto , qui locum Metropolitæ proprium tenet . Quumque duo mihi objici possint , Metropolitam nimirum Senonensem vocari Archiepiscopum , quia erat Primas Galliarum ; & majorum in more fuisse positum , ut observat Cantelius , quandoque in Conciliis collocare Suffraganeos statim post suum ipsorum Metropolitam , brevi respondeo . Senonensem Primali honore fuisse insignem & ab Aimoino , & ab autore Chronicæ Autifidorensis doceor ; ab iisdem vero disco etiam instituti Primatus Epochem , annum videlicet 876. Ind. IX. undecimo Cal. Jul. in Concilio Pontigonensi , Carolo Calvo Imperatore : ibi enim Privilegium conlatæ dignitatis Ansegiso Senonensi ab Jonanne VIII. Romano Pontifice , nequicquam reclamantibus Episcopis , patefactum , confirmatumque est ab Imperatore . Quare laudatum Chronicon mortem referens Archiepiscopi Senonensis Sevini vere Primalis : *His diebus* , ait , *Domnus Sevinus Senonensis Archiepiscopus obit* . *Hic Romæ per manum Joannis Papæ Archiepiscopale pallium* , quo Antecessores ejus infulati sunt , & *Primum Galliæ suscepit* . Itaque si centum amplius annis post Concilii hujus Romani ætatem , Senonensis Primatus est institutus , Vvillicarius erat dumtaxat Metropolita . Ad caput alterum , quod spectat ; sedisse in hoc Concilio ante Italos , Gallicanos Episcopos omnes simul junctos , unico Protothrono Ostiensi divisos , ut Gallicanis Itali simul conjuncti præcesserant in Arelatensi primo , aperte video , debitasque habeo gratias Cantelio , qui hoc in Arelatensi esse factum observat . *Quod vero idem docet* , quandoque Suffraganeos suis Metropolitis adhæsisse , Concilio huic Romano haud congruit . Idque apertissimum est ex

XV.
Concluditur,
nullum ex Franc.
Episc. qui Con-
cil. adfueri, Me-
tropolitam fuis-
se , præter Se-
nonensem.

Aim. Cont. I. 5.
cap. 33. Chrou-
Autif. an. 1002.

Cantel. de Me-
trop. Eccl.

Erlulfo Lingonensi, quem, tametsi Suffraganeum Lugdunensis, videmus tamen quintum post suum Metropolitanum sedisse. Atque ea propter, ne verbis inutilibus immoreret, venio ad Italæ Episcopos ex Tuscia atque Campania, & ex Provincia Italia convocatos, quæ est mei instituti pars altera. Idque ut planius fiat, quod de Galliis feci, Italæ dispositionem tum civilem, tum Ecclesiasticam præmittam.

XVI.
Civilis dispositio
Italæ in
XVII. Provin
cias post Con
stantinum.

Scriptor. Ital.
to: x. tab. Chr.
med. xvi.

Italæ peninsulam ab Alpibus, & circumfuso mari definitam, quamquam ante Triumviralem potestatem limite boreali Cisalpinæ Galliæ angustatam, primum Imperatores, deinde invasores Gothi, hosque sequuti Langobardi, ac demum Franci Reges eorum profligatores, qui omnes novam politiæ formam advexerunt, ausi nunquam sunt violare. Quam rem erudite observat V. C. Anonymus Mediolanensis, qui extensionis Italæ primordiis constitutis anno urbis C. 711. al. 710. Octavio Cæsare, & Q. Pædio Coss. sufficit, cum Strabone: *Hos fines, inquit, medio ævo nec Græci Cæsares, nec Gothi, nec Langobardi, ausi sunt immutare.* Verum quidquid religio iis fuerit Italæ fines innovare, eam certe administrandi genus multiplex memoratur. Præcipuum illud est, quod ab Adriano jampridem excogitatum, quum Consularibus quatuor Italianam omnem commisit, Constantinus in sua Romani Orbis dispositione omnino novum instituit. Namque Consularium Magistratibus obsoletis, unoque Italianam Correctore moderante, Constantinus Præfecto Prætorio Italæ, præter Africæ, & Illyrici Dioeceses (quasi novæ, veterisque Italæ rationem habens) Italæ Dioecesim bipertito administrandam per duos Vicarios decrevit. Dicti iidem sunt Vicarius Romæ, & Vicarius Italæ. Illi paruerunt Provinciæ decem, quarum quatuor, Campania, Tuscia & Umbria, Picenum Suburbicarium, Sicilia, erant Consulares; duas, Apulia & Calabria, Brutii & Lucani, a Correctoribus administrabantur; quatuor autem reliquæ, Samnium, Sardinia, Corsica, Valeria, per Præfides regebantur. At Vicario Italæ septem commissæ erant Provinciæ, quatuor Consulares, Venetia & Istria, Æmilia, Liguria, Flaminia & Picenum Annonarium; ac tres Præsidiales, Alpes Cottiae, Rhetia prima, & Rhetia secunda.

Ita-

Itaque septemdecim, ut in Galliis, Provincias in nostra Italia esse post Constantinianam divisionem perspicimus, in quarum singulis sua erat urbs Metropolis, Sedes videlicet Consularis, aut Correctoris, aut Præsidis, quæ ex Notitia satis constant. At singulas enumerando recensere vanum es-
set; quippe Romani Pontifices in Ecclesiasticis Provinciis constituendis, nullam civilis dispositionis rationem habue-
runt, præter bipartitæ Italiam divisionem, in Italiam videli-
cet proprie dictam, quæ parebat Vicario Italiam, & aliam
in Italiam partem, quæ Vicario Romæ.

Hujus vero bipartitæ divisionis rationem a Romanis Pontificibus esse habitam constat ab instituta per eosdem Metropoli Mediolano, cuius Sedis Episcopo septem Civiles Provincias ad Italiam spectantes subdiderunt; quum ante eam divisionem totam Italiam Dioecesim ipsi per se, unicæ instar Metropolis, gubernassent. Deinceps enim Primali jure Italiam administrantes, Romam cum decem iis Provin- ciis, quæ Vicario Romæ parebant, jure Metropolitico moderati sunt, detracto insuper ex Italia Piceno Annonario, quod ad Romanam Metropolim pertinuit. Hanc profecto dispositionem & D. Athanasius tum in Apologia secunda, tum in epistola ad solitarios, & Concilii Sardicensis sub-
scriptiones satis comprobant, ut Joannes Morinus & Caro-
lus a S. Paulo observant. Neque eam obsolevisse per octa-
vum seculum, convocatio Concilii hujus Lateranensis ex Tuscia, atque Italia, & Pontificiæ literæ aliquot post annos datae de Simoniæ vito, quod in Tusciæ, & Italiam par-
tibus vigebat, testantur. Sic, ne profligatas de Urbica-
riis, Suburbicariisve regionibus quæstiones instaurem, de quibus tam multa eruditissimi Recentiores contra Gotho- fredum, præeuntibus Joanne Morino, & Christiano Luppo, quorum primus Provincias omnes Vicario Romæ sub-
ditas, alter totum Occidentis Patriarchatum, Urbicarias, Suburbicariasve fuisse regiones contendunt, pro certo ha-
beri posse intelligo, quod Italicæ Dioecesis divisio biper-
tita, post Constantinianam divisionem facta, in duas vi-
delicet Ecclesiasticas Provincias, octavo seculo penitus non obsoleverat.

E

Et

XVII.
Ecclesiastica u-
nam primo pro-
vinciam, deinde
post Constantin.
duas, Italiam,
& Romanam am-
pliebatur.

Morin. Exerc.
30. l. 1.
Geogr. Sacr.

Adrian. PP.
Cod. Carol. ep.
85.

Gothofr. Cod.
Theod. tom 1.
Morin. Exerc.
cit. 30. libr. 1.
Christian. Lup.
Schol. in Gau.
6. Conc. Nic.

XVIII.
Provincia Ita-
lia in tres Me-
tropoles divi-
ditur a Summo
Pontifice.

Cantel. Metr.
Urb. p. 3. diss.
6. cap. 3.

Idem diss. 5.
cap. 4. ejusd p. 3.
Noris de Syn. V.
cap. 10.

Bar. 968. Pag.
965. Leo Ost.
I. 2. c. 9. Pe-
regr. in Aliger-
no. Cantel ubi
supr.
Geog. Sacr.

Et revera in Provinciis Civilibus, quas Romanus Pon-
tifex jure Metropolitico gubernabat, si Sardinia excipiatur,
in qua Calarim fuisse Metropolim Ecclesiasticam a seculo
quarto probat Cantelius ex S. Athanasio, Theodoreto, &
Cassiodoro, nulla ante nonum seculum Metropolis instituta
est. In Sicilia siquidem non esse excitatam Syracusanam Me-
tropolim ante seculum nonum invicte ostendunt idem Can-
telius, & Card. Noris, qui præterea Alberti Piccoli differ-
entiam de jure Ecclesiae Siculae impugnat, Messanæque
Metropolis antiquitatem evellit. In Peninsulæ autem Italæ
continenti Romanam Metropolim coarctatam minime esse
ante Capuanum Metropolitam institutum, communis Eru-
ditorum opinio est. Capuanæ vero Sedis Episcopus Metro-
politicum honorem est adeptus ab Joanne XIII. an. 968.
seu ante biennium, tenui hoc, neque attendendo, Chrono-
logiæ discrimine. Quare mentio illa Rhegitanæ Metropolis,
quam in Photiana Notitia observans Carolus a S. Paulo,
rem certam affirmare timuit, ad eas per me alegatur Me-
tropoles, quas nonnulli amore erga patriam compulsi, ex
monumentis veterum excitasse sibi blandiuntur; quum cæ-
teroqui aut de Civilibus, aut de Græcæ institutionis Me-
tropolibus mentio in iis sit. Secus est de septem Italæ
Provinciis ab Apostolica Sede commissis Metropolitæ Me-
diolanensi; hanc siquidem late adeo effusam Mediolanensis
jurisdictionem, longe ante Concilium nostrum Romani Pon-
tifices decurtarunt, creatis subinde Metropolitis duobus,
Ravennatenſi, cui subjiciebantur Æmilia, & Flaminia præ-
ter Picenum Annonarium, de quo supra, & Aquilejenſi, cui
Venetia & Istria Civilis Provincia erat subdita, quæ po-
stea Langobardorum tempore in duas est divisa, in Aqui-
lejensem nimirum & Gradensem. Sed de Gradensi Istriæ
Metropoli, seu Patriarchatu, schismate celebri ad nos nihil;
tum quia Gradus extra continentem Italæ sita est, tum
quia parvam in eam Insulam secedens Aquilejenſis, trans-
latæ potius Sedis, quam novæ Metropolis institutæ posset
Autor appellari, quamquam & Pontifices missio Pallio confir-
marunt Gradensem, vicesque ejus ut tandem sopirent, Vene-
tias undecimo seculo eam dignitatem transtulerunt. Cæterum

Ra-

Ravennate, & Aquilejensi Metropolitis institutis, exinde
Mediolanensi quatuor tantum Provinciæ Civiles ante annum
millesimum paruerunt, Liguria, Alpes Cottiae, Rætia pri-
ma, & Rætia secunda, duabus ex hac postrema civitatibus
detractis Ratispona, & Quintanis in Vindelicis, quarum
Episcopi subditi fuerunt Metropolitæ Laureacensi in Panno-
nia & Norico, postea Salisburgensi. Quæ constant ex Or-
dine antiquo Suffraganeorum Ecclesiæ Mediolanensis, quem
edidit V. C. Ludovicus Muratorius, prout in Conciliis se-
debant. Principem nempe locum habet Metropolita: a de-
xtris ejus sedent Episcopi, *Vercellensis*, *Novariensis*, *Lauden-
sis*, *Terdonensis*, *Astensis*, *Taurinensis*, *Agustensis*, *Aquensis*,
Januensis: laevam vero tenent Episcopi, *Brixiensis*, *Perga-
mensis*, *Cremonensis*, *Curiensis*, *Tporiensis*, *Albensis*, *Saunensis*,
Vigintimiliensis, *Albenganensis*. His porro novemdecim Epi-
scopis cum Metropolita, octo nimirum ex Liguria, no-
vem ex Alpibus Cottiis, Curiensi unico ex Rætia I.,
& Agustensi ex Rætia II. addendum crediderim *Bobensem*,
quamquam Ditramus apud Baronium, excitatum docet an-
no 1014., ut plenus esset numerus Cathedralium viginti,
quas Provinciæ Mediolanensi tribuit antiqua Notitia Thuana
apud Carolum a S. Paulo.

Brevis ea quidem Notitia est, tantæque antiquitatis, ut
facta videatur ante ullam in Italia Metropolim excitatam
post Capuanam, quam omnium primam habendam esse post
Ravennatensem, & Aquilejensem Annalium parens affirmat,
Carolusque laudatus testatur; qui altius vult repetendam,
Bobensis Episcopatus ætatem, dum Laurentium Concilio V.
Simachi adfuisse tradit. Quæcumque autem sit, ob om-
nium oculos ponere eam lubet.

*In Provincia Etruria, sive Tyrrea numerantur civitates
Civitas Romensium Metropolis.*

In Provincia Capuensi

Civitas Capuensis Metropolis invenitur.

In Provincia Flaminensi civitates numerantur

Civitas Ravennensium Metropolis.

In Provincia Venetensi, & Histriensi numerantur

Civitas Aquilejensium, ipsa est Forum Julii.

Scriptor. Itali-
cor. to. I. p. 2.
pag. 228.

Baron. ad ann.
1014.

XIX.

Ante Capuen-
sem quatuor tan-
tum Metropoles
Ecclesiæ erant in
continente Ita-
lia.

D I S S E R T A T I O N I S
*In Provincia..... seu Liguriensi civitates numerantur
 viginti.*

Civitas Mediolanensium Metropolis.

Ex qua antiqua Notitia evidens est, quod in continentia Italiam, tunc temporis, quum eadem scripta est, quinque, immo quatuor Provinciæ Ecclesiasticæ, quindecim Civiles amplectebantur. Quatuor, inquam; nam in Capueni Metropolis tantum civitas numeratur, quæ res, ni fallor, ostendit, Capuam honore dumtaxat Metropolitico insignem nullos habuisse Suffraganeos, ac proinde Provinciam separatam minime constituisse; quemadmodum si hodie nova scriberetur Notitia Provinciarum Italiam post Ferrariensem tali honore donatam a Sanctissimo Domino nostro Clemente XII. nullæ numerarentur Suffraganeæ urbes; at laudatae Notitiaæ exemplo affirmaretur:

In Provincia Ferrarensi

Civitas Ferrarensis Metropolis invenitur.

Itaque si tres postremæ Provinciæ tribuantur Italiam proprie dictæ, ut par est; per Provinciam Etruriam, sive Tyrream, amplissimam Romanam Provinciam recte intelligemus, quæ parebat Romano Pontifici, ut Metropolitæ, amplectebaturque eas omnes Civiles Provincias Continentis, quæ juxta Constantinianam dispositionem a Vicario Romæ administrabantur. Ac proinde quum liber Pontificalis ait *Tusciam atque Campaniam*, absque ulla divisione, non duas distinguit Provincias, at una in Romana Provincia, quam abunde indicasset solo *Tusciae* nomine, diversos Episcopos duarum Civilium Provinciarum enumerat, Campaniae nimirum, & *Tusciae*, quæ cum Umbria unam Provinciam faciebat Piceño etiam Annonario eidem ob vicinitatem adjuncto, ut Pancirolius observat.

Hic vero aliquis fortasse mirabitur, quod Stephanus III.
 qui ex Francorum regionibus, & ex Italia Episcopos accer-
 fit, omnino nullum ex Civilibus aliis Provinciis Roma-
 nam constituentibus, convocaverit. Quum præsertim ex
 duabus memoratis, & ex Valeria consueverint Romani Pon-
 tifices ad Synodos Provinciales vocare Episcopos etiam ævo
 S. Petri Damiani, per undecimum nempe seculum, ut te-
 sta-

Notit. Occid.
cap. 51.

xx.
 Causæ cur es
 Tuscia tantum
 & Campania
 Episcopi ad Con-
 cilium evoca-
 tur.

statur Card. Baronius, qui duo & sexaginta in iis Provinciis numerat, præter Episcopos Cardinales, eosque, qui aut antiquati, aut uniti fuerant. Sed admiratio omnis cessabit, ut arbitror, si Stephani tempora difficillima reputentur. Græcis scilicet, Langobardisque eas Provincias insidentibus, non erat liberum Pontifici vocare indidem Episcopos Romanos; quin etiam Patrimonia S. Sedis ab iisdem occupata, ut sibi redderentur, imploratam legimus Francorum opem a Sancto Paulo I. paucis ante annis, quam Lateranense hoc Concilium celebraretur. Is autem invasa eadem dolet a Cajetanis, Neapolitanisque: & paucos post annos Stephani successor Adrianus testatur Græcorum invasionem usque Terracinam protendi. Huc accedit ipsa Romani Pontificis jurisdictio per id temporis temere ab iisdem Græcis detruncta; nam Leo Isaurus vel ab anno 730. in odium Italicæ defensionis sacrarum Imaginum, præ aliis Provinciis, Calabriam quoque & Siciliam a Romano Patriarchatu distraxerat, & Constantinopoleos Patriarcha in sue Sedis jura transcriperat, ut eruditus Franciscus Macedo hanc historiæ partem enarrat. Quamobrem Adrianus Papa ab Imperatore Constantino, & Irene Augusta efflagitat: *Ut consecrationes Episcoporum, seu Archiepiscoporum, sicut olimana constat traditio, nostræ Dioecesis existentes, penitus canonice Sanctæ Romanae restituunt Ecclesiæ.* Nam, ut docet Christianus Lupus, Leo Isaurus dum Illyricum Siciliam, & Citeriorem Italiam transcripsit Patriarchæ Constantinopoleos, in Calabria, & Apulia erexit quosdam solo nomine Metropolitas, seu Archiepiscopos, ut dicebantur, quo ad illius manus deberent consecrandi accedere. Unde liquet, quod Pelagius Consentinus, & Aufredus Tarentinus, qui anno 743. Concilio Romano S. Zachariæ interfuerunt, & si qui alii reperiuntur indidem subscriptissime Romanis Conciliis per hæc tempora, aut fortuito Romæ, aut in comitatu Pontificis degebant.

Cæterum mihi eo revertenti, unde jam fatis digressus videor, nil melius comprobat, quod Canone XII. Chalcedonensis Concilii sanctum legimus, quam convocatio hæc Episcoporum Dioecesis Italix in libro Pontificali memorata. Inde enim constat non arbitrio Principum mutatas Provin-

Baronian 1057.
Scheleitr antiq.
Eccl. to. 2. pag.
746.

Cod. Carol. ep.
26.

Ibidem ep. 73.

Respons. ad
Germanit. 18.

Christ. Lup.
Schol. in Can.
12. Conc. Chalce.

X X L
Civilis politia
Italiae medio æ-
vo profusa altæ
ab antiqua.

cias Ecclesiam sequi , sed semel statuta constanter servare . Et sane quis nesciat , Langobardis sexto seculo senescente Italix partem invadentibus , partemque aliam tuentibus pro Imperio Græcorum Exarchis , novas esse Provincias designatas , novosque excitatos Magistratus ? Provincias scilicet duas & viginti enumerat Anonymus Mediolanensis , earumque administratores obsoleto Consularium , Præsidum , Correctorumque prisco nomine , Duces , Exarchum , Gastaldos , Principes , Patriciosque appellatos cum Blondo , aliisque Italicarum rerum Scriptoribus notat . Certe Flaminiaæ antiquum nomen Exarchatus , Piceni Pentapolis , Umbriae Ducatus Spoletinus aboleverunt . Sic cæterarum nomina Provinciarum majori ex parte immutata , quæ , quia minime ad rem faciunt , prætermitto . Tuscia ipsa , quæ antiquum nomen conservavit , tripartito dividi , appellarique triplici nomine cœpta est : alia enim erat Tuscia Regalis , alia Ducalis , seu Langobardica , alia demum Romaina , quæ Ducatus Romani partem trans Tiberim faciebat . Ducatus etiam Romanus , qua Umbriae , Sabiniæ , Campaniæ partes cis Tiberim comprehendebat , earumdem Provinciarum nomina antiquaverat : ac proinde Italix facies mutata omnino erat Stephani III. tempore , ab ea quam primi Orientis Imperatores constituerant . Tempore , inquam , Stephani III. nam paulo post Langobardica hæc politia & ipsa periit , nova per Francos Reges emergente , quum Marchæ , & Comitatus Ptovinciis nova nomina tribuerunt (duabus tamen exceptis Marchiis Trivisana , & Anconitana , quibus facta ea nomina vult Pancirolus a Marchionibus Langobardorum :) Æmilia vero , quæ post Pipini donationem ad Romanum , seu S. Sedis Territorium spectare cœpit , Pipiniana donatione per Carolum Magnum confirmata , Romandicla est nuncupata .

XXII.

Ecclesia Metropoleon institutio , & Provinciarum ordinatio ad solum Rom. Pont. spectat , ideoque civilibus varietatibus non est obnoxia .

Ea tamen civili dispositione Italix nostræ non obstante , refert liber Pontificalis congregatos esse Episcopos Tuscia atque Campania , & istius Provincia Italix , nempe Provinciarum ab Ecclesia constitutarum , juxta Constantinianam Civilium Provinciarum divisionem bipartitam , ut abunde est demonstratum . Quod clarius etiam percipiet , qui sedulo inspiciat Episcoporum , qui convenerunt , Sedes singulas :

ex

Notit. Imper.
Occid. c. 58.

ex triplici siquidem Tuscia, ex Ducatu Romano, Spoletino, Campania, Exarchatu, Pentapoli, & Liguria eos advenisse comperiet. Horum vero si aliquantos, ut habet liber Pontificalis, sex videlicet solos Episcopos, Vicarium Archiepiscopi Ravennatis, hujusque Suffraganeos tres, Cæsenatem, Faventinum, Ficocensem, Papiensem exemptum, & Dertonensem Archiepiscopi Mediolan. Suffraganeum, tribuat Italiae proprie dictæ; Episcopos quatuor & triginta reliquos ex unius Ecclesiastice Provinciæ Romanæ duabus civilibus in eodem Pontificali memoratis Tuscia, atque Campania omnes convocatos agnoscat: modo in memoriam redeat eorum, quæ supra cum Guido Pancirolo affirmabam de Tuscia, cum hac videlicet Umbriam, & Picenum Annonarium connecti, unicamque Civilem Provinciam constitui. Quamobrem unusquisque mecum sentiat necesse erit, quod Ecclesiastici Orbis Monarcha Romanus Pontifex, tum quando nascentis, adolescentisque Ecclesiæ satagens, civilem politiam est sequutus, quod factum docet Præful Blanchinus in rebus Ecclesiæ veteris versatissimus, ut Ecclesia ubique institueretur; tum quando Constantinianam sequutus dispositionem extra Italiam, Ecclesiasticam illi Hierarchiam accommodari consensit, ut ita planius faciliusque rem Ecclesiasticam ubique terrarum moderaretur, nulla ad id necessitate adhærendi ordinationibus Principum est coactus: at quia optimam, utilissimamque esse vidit civilem orbis dispositiōnem, idcirco Ecclesiasticam illius fere similem ordinavit. Hanc enimvero semel institutam, non licuit arbitrio Principium immutare. Hinc est, quod Justiniano quatuor Armeniarum Provincias ordinanti opus fuit Ecclesiarum regimen intactum relinquere; quin etiam ad Episcoporum ambitum comprimentum lege sancire, ut Ecclesiastice non augerentur Metropoles, instar Civilium: *Quæ ad sacerdotia spectant, ea volumus in pristina manere forma, negotio ipso neque circa jus Metropoliticum neque circa ordinationes vel mutationem, vel novationem suscipiente.* Quod tametsi Imperiorii non erat juris definire, quum tamen Patrum Chalcedonensium decreto Summi Pontificis autoritate firmato inhæreat, non legislatorem Principem, at confirmatorem Ecclesiæ legum, non ut major

Auct. tom. 2.
pag. 144. in S.
Eleuth.

Novel. 31. c. 2.

iisdem vis accederet, sed ut Principis fulcitæ præsidio majoris observantiæ essent, nobis exhibet.

XIIIL.
Si quando fecus
est factum Rom.
Pont. irritum
esse jussit.
Christian. Lup.
Schol. Can. 12.
Conc. Chalced.

Thomassin. de
Benef. p. 1. l. 2.
e 39. n. 11.

Eundem profecto Justinianum & Ecclesiæ, & suæ legis alias oblitum Ecclesiasticas etiam Provincias disturbasse, quod postea exemplum sequuti sunt Schismatici, negare non ausim. Quin etiam idem esse factum in Hispania, & Galliis in Civilium confusione Provinciarum, affirmo. Verum quemadmodum ipso in Oriente Romanus Pontifex, Imperatorias hujusmodi sanctiones aut pro bono pacis ratas haberi voluit, aut tempore, & occasione id exigente, improbat, ut de nova Tyanensi Metropoli a Valente instituta, ab Innocentio autem Papa improbata, refertur; ita in Occidente, ubi præter supremum Pontificium, Patriarchali etiam jure pollebat Pontifex, aut nulla Metropolis absque ejus assensu excitata, aut siqua temere est erecta, brevi eadem corruit, quod de Lucensi in Hispania compertum est, necnon de bipertita Charthaginiensi Provincia mihi constat, ut palam erit in antiquitate Ecclesiæ Hispaniensis. Cæterum ipse ingens Metropoleon, Provinciarumque Ecclesiasticarum numerus, quæ identidem in Italia nostra emerserunt, ubi Romanis Pontificibus non arrisit Constantiniana divisio, evidenter rem ostendit: nulla siquidem Civilis Provincia est, quæ respondeat Ecclesiasticæ; Hierarchiam quippe Romani Pontifices usque ad hunc diem, aut priscis intactis Provinciis, aut iisdem dividundis, aliisque recens excitandis, prout commodior Ecclesiæ moderatio persuasit, ordinaverunt, semperque deinceps ordinabunt, quoad Christus Dominus, cuius ii visibile caput sunt, Ecclesiæ, quam moderantur, triumphum differre dignatus erit.

C A P U T II.

*Sedes Episcoporum Franciae, qui Concilio
Lateranensi adfuerunt.*

Instituenti mihi de Franciae Episcoporum Sedibus verba facere, quoniam, ut ajebam superiori capite, illarum aliquot creduntur Metropoles, quum vere non sint, necessarium erit nonnihil de Pallio dicere, cuius collatione honor Metropoliticus antea in Francorum Regno eversus, post Concilii hujus ævum est restitutus. Pallii collationem, de usu enim & autoritate Pontificii jurisperiti satis multa, ad duo passim genera Scriptores referunt, suamque utrius generi ætatem adscribunt. Primi scilicet generis collationem ad septimum, octavumve seculum producunt; alterius vero ad nostram inde ætatem pervenire contendunt. Primum igitur genus quamquam minime ad rem facit, ne prorsus fileam, Magni Gregorii verbis quidquid dici de eo potest, amplectar. Noluit Gregorius Siagrio Augustodunensi Episcopo concedere usum Pallii; &, ne Francorum Reginæ Brunechildis nequicquam id petuisse animus laderetur, scriptis eidem literis negatæ concessionis causas hasce enumera: *Primum: quia is, qui venerat Pallium accepturus, Schismaticorum tenetur errore implicatus, deinde quia non ex vestra petitione, sed ex nobis transmissum voluistis intelligi. Extra hoc autem quia is, qui eo uti desiderat, directa ad nos hoc sibi largiri speciali petitione poposcerat, & tantam causam nullo modo præbere sine ejus postulatione debuimus: maxime quia & priſca confuetudo obtinuit, ut honor Pallii nonnisi exigentibus causarum meritis, & fortiter postulanti dari non debeat.* Quamobrem ut recte animadvertisit Pagius in vita S. Marci, Pallium, quod solis Patriarchis & Archiepiscopis competit, Romani Pontifices postea concessere aliis Episcopis, vel intuitu meritorum, vel alia justa de causa. Archiepiscopos autem intelligit Pagius Primates; namque tam rare erant primis seculis hæ Pallii concessiones, ut eruditissimis viris non paucis in mentem venerit, cum Pallii traditione con-

L.
Duo genera
concessionis S.
Pallii. Primum
ante 8. seculum
meritorum, ut
plurimum cau-
sa.

S. Greg. M.
libr. 7. epist. 5.

Franc. Pag. in
vita S. Marci.

junctas fuisse Apostolicas vices , ac proinde unum & idem fecerint Vicarios Apostolicos , & Primate s , neque desit , qui affirmet , Metropolitas postea omnes honorem illum asse quatos , tot Primate s esse factos ; alii etiam tesseram subjectionis fuisse autument . Quæstionem profecto amplissimam , quam alibi pertractayi . Non autem hujus loci est ejus summa referre , quum ad reliqua sit properandum . Interim vero , hac de re ut legantur velim Caput xx . libri primi Hist . Pelag . Em . Cardinalis Noris contra Hallerium , & Joannem Morinum ; necnon Garnerii Dissertatio III . Appendix ad libri Diurni Pontificum cap . IV .

Marca de con-
cord. I 6. c 6.
& 7. Ant. Pag.
430. n. 8.

II.
Alterum exinde ad nostram
statem : nullus
que Metropolita
ante Pallium ac-
ceptum Archie-
piscopus dicitur.

Concil. Gen.
VIII. Can. XVII.

V. Innoc. III.
nam. 30.

Manu in P. I.
l. 2. cap. 57.

Alterum Pallii conferendi genus , quod communis omnium opinio est , per octavum seculum invaluisse , nostrum ad institutum prorsus pertinet ; eaque propter serio inspicendum erit . Quam necessaria fuerit Pallii collatio Archiepiscopis (ita enim per hæc tempora nullo discrimine appellantur Metropolitæ Occidentis) vel inde patet , quod nullam ante Pallium autoritatem habebant : qui enim Metropolitæ manus impositionem a Patriarcha ob distantiam locorum non accipiebant , per Pallium ab eodem confirmarentur necesse erat : ita Concilium generale octavum statuit , ut Patriarchæ senioris , & novæ Romæ , Antiochiæ , & Hierosolymorum : *Universorum Metropolitanorum , qui ab ipsis promoventur , & sive per manus impositionem , sive per Pallii datationem Episcopalis dignitatis firmitatem accipiunt , habeant potestatem , videlicet ad convocandum eos &c.* Hinc est , quod magnam omnes in admirationem conjectit Gualterus Trojanus Episcopus , & Regni Siciliæ Cancellarius , qui Pontifice Innocentio III. inconsulto , ab hujus Legato erat admissus in Panormitanum Metropolitam , & quamvis nondum Palleum recepisset , nedum etiam postulasset , Panormitanensem tamen Archiepiscopum & re , & nomine se gerebat ; ait autor ejus vitæ a Baluzio editæ , quæ extat etiam in Tom. 3. Scriptor. Italic. Et , quemadmodum nuperrimus V. C. in Scriptorem veteris , & novæ disciplinæ animadvertisit , Clemens IV. alia inter crimina Henrici Trevirensis Archiepiscopi id præsertim exaggerat : *Quod Pallio non obtento , in suis literis Archiepiscopum se nominare præsumserit . Id vero autoritatis*

C A P U T II.

43

tatis inesse Pallio Metropolitis omnibus concessso , ab ipsis
ejus concedendi primordiis liquet ex Adriani epistola ad
Tilpinum Remensem data an. 774. alibi ex Flodoardo lau-
data : *Ut Pallium illi , ait (Lullo videlicet Moguntino Epi-*
scopo ante annos viginti ordinato) secundum consuetudinem
transmittamus , & ordinationem illius firmam judicemus , & in
eadem Sancta Ecclesia Moguntina Archiepiscopum constitutum esse
faciamus . Et ante Adrianum S. Zacharias post Liptinensis
Concilii celebrationem , anno videlicet 743. (ut ibi eruditus
ostendit Pagius num. 3.) in quarta ad S. Bonifacium episto-
la : *De Episcopis vero , ait , Metropolitanis quos per unam-*
quamque Metropolim per Provincias constituisti , hos per tuum
testimonium confirmamus , & Pallia dirigimus ad eorum firmis-
simam stabilitatem . Ac denique , quod velim attendi ab iis ,
qui cum Pallio Apostolicas vices confundunt , an. 731. Apo-
stolicus per Germaniam Legatus Sanctus Bonifacius , qui
Summi Pontificis vices gesserat annis duodecim , novemque
ante annos Romæ ordinatus erat Episcopus , mortuo Sancto
Gregorio II. ab hujus Successore Apostolicam legationem
sibi confirmari efflagitat ; hic vero , nempe Gregorius III.
sequenti anno 732. & Legatum confirmat Bonifacium , &
Archiepiscopum creat . Quomodo autem creat ? En S. Pon-
tificis verba : *Jure tibi Sacri Pallii direximus munus , quod*
B. Petri Apostoli suscipiens autoritate , induaris : atque inter Ar-
chiepiscopos unus , Deo autore , præcipimus , ut censearis . De
his autem satis ; nemo enim dubitat , quin ab octavo seculo
Archiepiscopis , seu Metropolitis omnibus datum sit Pallium ,
salvis aliorum Metropolitarum privilegiis , itaut uniuscujus-
que jurisdictio intra suæ Provinciae limites contineretur .

Neque vero illud mirandum subit , quod nulla a Prin-
cipe , nullaque ab ipso Bonifacio petitione facta concedere-
tur Pallium : nuper enim a Gregorio Magno didicimus , pris-
cam consuetudinem obtinuisse , ut vel *exigentibus causarum*
meritis , vel fortiter postulanti concederetur . Quæ autem me-
rita causarum majora essent ? Innumeræ prædicatione victo-
rias de iniquo dæmone reportasse , tot hominum millia sa-
cris Baptismi undis rigasse , tot gentes ab Idolis ad Evan-
gelium revocasse , alibi Ecclesiam fundasse , alibi dirutam

Hist. Rem 1. 2.
cap. 17.Baron. & col-
lect. Concilior.Cod. Bonif.
ep. 102.III.
Sanctus Bonifa-
cius autoritatem
aliis Metropoli-
tis maiorem non
accepte cum pal-
lio .

instaurasse: Pastores præterea, qui novos pascerent greges, constituendi, celebranda Concilia, iisque præsidendi necessitas, atque alia multa, quæ ex epistolis trium SS. Pontificum Gregorii II. & III. ac Zachariæ, necnon ipsius Bonifacii palam fiunt, erant profecto causarum merita, quæ Pallium, ut ait Gregorius Magnus, exigebant. Ad Francorum autem Archiepiscopos quod spectat, ii pristinam dignitatem Pallii traditione, & quidem ab ipsis, & a Rege petiti, recuperarunt, quod patebit infra, quum de iisdem singillatim sermo erit: tametsi Metropoli semel restituta non fuit opus nova Principis petitione successoribus Episcopis, quibus Pallio ab Apostolica Sede & confirmabatur ordinatio, & Archiepiscopi nomen tribuebatur. At quia compendiaria lubet via ad persequendum cætera properare, ipsius Bonifacii autoritate ob oculos ponam, tum omnes Franciæ Metropolitanos petuisse Pallium ab Apostolica Sede, tum eos omnes parem autoritatem esse assequitos per Pallium, ne Bonifacio quidem excepto, cuius quæ erat major cæteris potestas, non ab usu Pallii, sed Apostolico a Vicariatu proveniebat: qui enim Pontificem refert, vel merus Presbyter non in Regni unius, at in universi orbis Ecclesia est caput & Princeps, idque oecumenica Orientis Concilia testantur. Sanctus igitur Bonifacius Dorovernensi Archiepiscopo Cuthberto sibi amicissimo (a quo tanta in veneratione habebatur, ut ejus martyrio auditu statim decreverit, diem quintam Junii solennem fore omnibus Anglo-Saxonibus in S. Bonifacii, & sociorum martyrii memoriam) scribens: *Major, inquit, nobis sollicitudo Ecclesiarum, & cura populorum propter Pallia credita, & recepta, quam ceteris Episcopis, qui proprias tantum procurant Parochias, incumbit.* Infra autem referens, quæ decreverat in Synodo apud Francos celebrato: *Decrevimus in nostro synodali conventu, & confessi sumus fidem Catholicam, & unitatem, & subjectionem Romanæ Ecclesiæ, fine tenus vitæ nostræ velle servare: S. Petro, & Vicario ejus velle subjici: Synodum per omnes annos congregare: Metropolitanos Pallia ab illa Sede querere: & per omnia præcepta Petri canonicæ sequi desiderare; ut inter oves sibi commendatas numeremur Decrevimus, ut Metropolitanus, qui sit Pallio subli-*

Cod. Bonif.
Ep. 105.

ma-

C A P U T . II.

45

matus hortetur ceteros , & admoneat , & investiget , quis sit inter eos curiosus de salute populi , quisve negligens servus Dei .. Statuimus quod proprium sit Metropolitano juxta Canonum statuta subjectorum sibi Episcoporum investigare mores , & sollicitudinem circa populos , quales sint Et unusquisque Episcopus , siquid in sua Diœcesi corrigere , vel emendare nequiverit , itidem in Synodo coram Archiepiscopo , & palam omnibus ad corrigen-dum insinuet , eodem modo , quo Romana Ecclesia nos ordinatos cum sacramento confrinxit , ut si Sacerdotes , vel plebes a lege Dei deviassent viderim , & corrigere non potuerim , fideliter semper Sedi Apostolice & Vicario S. Petri ad emendandum indica-verim . Sic enim ni fallor , omnes Episcopi debent Metropolitano , & ipse Romano Pontifici , siquid de corrigen-dis populis apud eos impossibile est , notum facere Nobis æqualis labor , & majus periculum imminet , quam ceteris Sacerdotibus , quia Canones antiqui præcipiunt , ut omnes Metropolitani sciant sollicitudinem totius Provinciæ gerere .

In his , quæ ex S. Bonifacio decerpsti , ab eodem in Synodo constituta , spe instaurandæ Ecclesiæ , quamquam fatetur officium laboris sui sibi visum esse simillimum cani latranti , & videnti fures , & latrones frangere , & subfodere , & vastare domum Domini sui , & quia defensionis auxiliatores non habeat , submurmurans ingemiscat & lugeat ; in his inquam , præ aliis quæ Episcopos , quæve Metropolitas spe-ctant , dignum notatu est , quod causarum cognitiones ab Episcopo ad Metropolitanum , ab hoc vero ad Summum Pontificem recta deferendas synodaliter constituitur . Quare omnes fatentur , Exarchatus dignitatem , potestatemque in Galliis extinctam esse ; quidquid nonnulli fastidientes subjectionem , quam Romano Pontifici , ut Patriarchæ suo debent Metropolitæ Occidentis , secus rem totam interpreten-tur , quos eruditæ arguit Scriptor Francicus . Ultero huic novæ disciplinæ Episcopos omnes se subjecisse ostendit , longeque ut sublatam inter Pontificem & Metropolitas Exarchi potesta-tem quererentur , ejus instaurationi non semel tentatæ sem-per restitisse : neque hanc fuisse novam legem , quæ Me-tropolitis per Pallium daretur , sed ipsam illam qua S. Gre-gorio Magno subjiciebantur , quos per se ordinabat , Me-

iv.
Metropolitani
Pallii generali
concessione Ro-
mano Pontifici
sunt subiecti an-
tiquata Exarch-
potestate .

Thomassin. de
Benef. P. 1. lib. 2.
cap. 55.

tropolitæ . Quum autem nonnullo discrimine subjicerentur Romano Pontifici , ut Patriarchæ Occidentis , Metropolitæ cæteri , quos hucusque alia erat disciplina confirmandi , ab ipsis Romanis Pontificibus , & Conciliis stabilita , quis litem moveat iisdem aliam nunc statuentibus ? Mutata est igitur vetus disciplina , confirmarique Metropolitas cœptum per S. Pallium : at mutata ea quideni est ab ipso ejus autore Romano Pontifice , qui majorem hoc sacro indumento autoritatem Metropolitis omnibus voluit elargiri , ut firmitatem inde accipiens eorum autoritas Comprovincialibus fieret Episcopis formidabilior , ac proinde utilior , quam antea . Metropolitæ vero ipsi non Exarcho aut Primi , sed eidem Romano Pontifici , a quo plenitudinem potestatis accipiebant , jure ac merito subdebantur . Hinc est , quod , nedum summa Pontificia , Patriarchali sola utens autoritate , illos Romanus Pontifex , ad Concilia convocabat &c. ut statuitur Canone XVII. Concilii VIII. supra laudato , qui nullum Patriarchatus Metropolitam excludens , conceptis his verbis utitur : *Sive per manus impositionem , sive per Pallii dationem Episcopalis dignitatis firmitatem accipiunt.* Et hæc obiter dicta fint occasione instauracionis Metropoleon Franciæ , quas pefsumdederant Majores domi . Ex quibus , utquumque obiter dictis , certam Epochem figere haud dubie possumus moris confirmandi Metropolitas omnes Occidentalis Patriarchatus per sacram Pallium Roma missum circa initium octavi seculi . Et sane præter Africam & Hispaniam , quibus impia Saracenorum dominatio interdixerat vel Christiana Religionem , Regna cætera , quorum Metropolitis ob distantiam locorum non dari , sed mitti poterat Pallium , ætati hujus disciplinæ non repugnant . Galliam enim , ut e calamitatibus ante octavum seculum cœptis emerget , ultro eam amplexam esse jam vidimus in Synodo anni 742. Angliam non ignoramus , a duobus omnino Metropolitis Doroverensi , seu Cantuariensi , & Eboracensi , qui per Pallium confirmabantur ab ipsa institutione , a seculo septimo nimirum , gubernari . Germaniæ denique illam partem , quæ ad Francorum Regnum pertinebat , ab eodem Apostolicæ Sedis Legato Bonifacio , qui Francicam instaurare a Francorum Regibus rogatus

tus , a Romano Pontifice iussus erat , prima disciplinæ rudimenta suscepisse , aliam vero partem aut servire Idolis , aut sicuti Evangelium auditum erat , nullibi de Ecclesia , nedum de disciplina ejus cogitatum esse , quem præterit .

Hæc quum ita sint , nemo non videt , quanta via errarit Archiepiscopus Parisiensis , quum Concilii generalis decreto contendit roborari insidias , quas Nicolaus I. Gallicanis Præsulibus ante sexennium molitus fuerit . Longe enimvero alia fuit mens Gallicanis Præsulibus centum amplius annis , quam Nicolaus ad Petri Cathedram evehetur . Idem ultiro decreverunt , ut S. Bonifacius testatur , *in Synodali conventu subjectionem Romanæ Ecclesiæ fine tenus vitæ velle servare* : eosque & successores stetisse , ut par erat promissis , Concilium hoc Lateranense Stephani III. fidem facit , cui duodecim evocati Episcopi adfuerunt , unicus nimurum Archiepiscopus , septem urbium Metropoleon , reliqui Suffraganearum Sedium , Episcopi . Quorum ego de Sedibus loquunturus , quam apte præmiserim pauca hæc de Pallio , satis liquet ; idcirco enim tamquam meri Episcopi nuncupantur ii septem , utquumque haberent Sedem in sua quiske Metropoli , quia dignitatis Episcopalis firmitatem traditione Pallii haudum acceperant , quod mox ostendam . Sedes igitur Episcoporum urbium Metropoliticarum septem sunt juxta ordinem , quem ipsi in Concilio tenuerunt : *Moguntina* , *Turonensis* , *Lugdunensis* , *Bituricensis* , *Narbonensis* , *Eur-degalensis* , *Remensis* . Has vero omnes fuisse habitas pro meritis Episcoporum Cathedris , unico eorumdem aspectu deprehendimus . Unus siquidem Senonensis vocatur Archiepiscopus , cæteri omnes Episcopi ; unus Senonensis sedet loco Metropolitæ debito , nempe post Ravennatensis Legatum , cæteri omnes antiquitatem ordinationis servant inter ipsos Suffraganeos . Unus Senonensis Episcopo Ostiensi aliis omnibus antiquiori præfertur , cæteri omnes tum illi , tum alii Suffraganeo Archiepiscopi Senonensis postponuntur . Quem fane ordinem habendum esse instar regulæ certæ ad cuiuscumque Episcopi locum dignoscendum hinc inde numerando , ut moris est in Conciliis , persuasum est , quia non in subscriptionibus , quarum mira est varietas , sed ipsis in

V.
Ex officio Me-
tropolitis Fran-
ciae , qui Con-
cilio Lat. adfuit ,
unus tantum Se-
nonensis Pallium
acceperat .

Actis, ipsoque in Sessionis initio leguntur eorum nomina. Præterea solum id esse factum in hoc Concilio, ut Franci præirent Italìs, non Provinciæ singulæ seorsim collocarentur, aut alia adhiberetur regula ex iis, quas observat Cantelius, patet ex Episcopis Italiæ, & Tuscianis, atque Campaniæ, qui omnes, præter Ostiensem, concedunt loco Episcopis Franciæ, ut hi olim in Arelatensi I. concesserant Italìs; inter se autem invicem confunduntur, prout ætas ordinatio-nis suadet. Quam rem minime esse factam videre est in subscriptionibus Constitutionis Sancti Pauli I. anno 761. cui Episcopi, prout commodum illis erat, subscripsere, novem-decim scilicet in prima pagina, subjicientes in fine, *& alii cæteri, qui capere non possumus:* deinde post octo Cardina-lijum subscriptiones versa pagina tres alii Episcopi, quos reliqui Cardinales sequuntur. Id quippe est discriminis inter confidendum, & subscribendum, quod hic saepe varietas, quandoque etiam nullus ordo servatur; illic vero siquando varietas deprehenditur, aliquem semper ordinem servatum conjicitur. At venio ad urbes Metropoles Franciæ Archie-piscopali dignitate vacuas.

V.L.
Galliarum Ar-chiepiscoporum instaurator est
Adrianus Papa,
agente Carolo
Magno.

Labb. Biblioth.
Mss. to. 1. pag.
109. & in Con-ciliis.

Inter cæteras Gallicanæ Ecclesiæ illius ævi calamitates duæ potissimum numerantur, jura omnia Episcopatum con-cessa laicis, scelestisque hominibus, & dignitas Metropoli-tarum eversa. Hanc quidem postliminio revocare non po-terat nisi Romanus Pontifex; illa vero ut redderentur Epi-scopis, non erat satis Pontificia autoritas, at Regia etiam voluntate & jussione erat opus. Neutrum defuit Ecclesiæ il-li, quæ postea semel restituta, per Sacerdotii & Regni con-cordiam ad nostram usque ætatem florentissima semper fuit, semperque futuram mihi ominor. Dignitatis itaque Metro-politarum omnium instaurator fuit Papa Adrianus, qui Ste-phano III. successit anno æræ vulgaris 772. Neque alio utar teste, quam eo ipso, qui in epistola ad Bertherium Viennensem Episcopum rem, quemadmodum se habuit, nos docet: *Carolus Rex, inquit, Patricius Romanorum Romam ve-nit, & Pascha Domini apud S. Petrum nobiscum egit; ubi inter alia eum monuimus de Metropolitanorum honore, & de Civita-tibus, quæ laicis hominibus traditæ erant, & quia Episcopalis di-*

dignitas fere per LXXX. annos esset conculcata..... Autoritate igitur B. Petri Principis Apostolorum singulis Metropolis antiquo more potestatem suam reddidimus, & filium nostrum glorisum & inclytum Regem Carolum ante corpus B. Petri inde rogavimus, ut antiquam dignitatem omnis Metropolis haberet: ideo hanc epistolam autoritatis nostra omnibus misimus, quam & tu ut haberes volumus, & ut tu nosceres, Ecclesie tue privilegium, quod a tempore B. Papæ Leonis habuit, esse integrum reformatum. Ex postremis his verbis conjicio, quod exempla epistolæ, quæ ad Episcopos, Archiepiscoposque ab se restitutos Adrianus dedit, singula notitiam Provinciæ suæ habuerint adnexam; nam constat ex Cod. Vaticano n. 1338. eundem Pontificem dedisse ipsi Carolo eam notitiam integrum, tamquam Commentariolum antiquæ jurisdictionis Metropoleon ab eo instauratarum. In primo siquidem folio Codicis legitur: *Iste Codex est scriptus de illo Authentico, quem Dominus Adrianus Apostolicus dedit glorioissimo Carolo Regi Francorum, & Longobardorum, ac Patricio Romanorum, quando fuit Romæ. Et pagina 228. Notitia in Provincia Galliarum, vel Galliaras decem titulis nominate qualiter statutum, aut..... adeo incorrecte scriptum (ait Schelstratius, qui hanc Notitiam in lucem edidit) ut verus sensus elici nequeat.* Deinde septemdecim numerantur Metropoles cum suis quæque Suffraganeis, juxta dispositionem S. Leonis, & aliquot Successorum: ac proinde in Viennensi I. non legitur Metropolis Arelas, sed: *Metropolis civitas Viennensis*, & inter Suffraganeas duodecima: *Civitas Arlatensis*: quæ laudatæ Adriani epistolæ fidem faciunt. At quia non redditis etiam juribus, Metropolitæ ab Adriano sic restituti, fuissent nomina sine re; nonnisi post aliquod tempus missò identidem Pallio, Archiepiscopalís potestas fuit confirmata Metropolitis, utquumque ab Adriano, ut dictum est, instauratis: nam refert historia, quod Pagius observat: *Carolo Magno regnante Ecclesiasticos, eo agente, aliqua jura, licet non omnia recuperasse.* Eaque propter idem Adrianus toto sui Pontificatus tempore, ejusque maxime diurni, nam tres & viginti annos gubernavit Ecclesiam, ea non vidit Episcopis, & Archiepiscopis plene restituta.

Antiqu. Eccl.
tom. 2. append.
num. ix.

Pag. an. 744.
num. 6.

VII.

Metropolitæ
ante Adrianum
aliqui erant re-
stituti, at parum
felici successu.

Negari non potest, quod ante Adrianum alicubi di-
gnitas Metropolitica fuerit restituta; nam liber Pontificalis
testatur, S. Gregorium III. misisse Pallium Williario Vien-
nensi, Metropolitam videlicet Viennensis primæ eum con-
firmasse: & supra vidimus, S. Zachariam misisse tria Pallia
S. Bonifacio, confirmandi causa tres Metropolitas, Rotho-
magensem, Senonensem, & Remensem. At de duobus po-
stremis, qui ad Concilium hoc spectant, satis ostendi supe-
riori capite instaurationem illam evanuisse, & idem Adria-
nus, qui nequicquam restitutam dolet a S. Zacharia Me-
tropolim Remensem, affirmans ab se esse redditam singulis
Metropolitis antiquam potestatem, extra aleam rem ponit.
Præterquamquod Williarius ille Viennensis, quem liber Pon-
tificalis restitutum tradit a S. Gregorio III. ante annum
scilicet 742. invadentibus Septimaniam Saracenis, lateque
omnia vastantibus irreligiosiores Francos expertus, relictus
Episcopali Sede, in monasterium Agaunense S. Mauricii se
recepit, ut rem fuse narrat Chronologus Flaviniacensis.

Labb. Bibl. MSS.
to. I. pag. 107.

Vviliarius, ajens, Vicnnensis, qui Austroberto successerat videns
Viennensem Ecclesiam indecenter humiliari ob cladem Saraceno-
rum Septimaniæ & Viennensi, & Lugdunensi Provinciis immi-
nentium, laicis sacrilege & barbare res sacras obtinentibus, re-
licto Episcopatu monasterium Agaunense expetiit, ubi & vitam
venerabilem duxit. Et hoc in tempore Stephani Papæ, qui Za-
chariæ successerat. Quam historiam parvo discriminé Ado
etiam narrat apud Baronium. Ex quibus est evidens, totum
quam longe, lateque patebat Francorum Regnum, una ea-
demque fortuna usum esse, ita ut nulla omnino Metropolis
calamitatis expers sit relictæ. Neque huic fuisse ullum mo-
dum credideris; nam Saraci, Narbone a Francis expu-
gnata post triennalem obsidionem, pulsi sunt Septimania,
& ultra Pyrenæos ejecti anno 755. ac tum temporis inci-
piente sacrilega Ecclesiasticæ rei usurpatione, Williarius ab-
ire compulsus est in monasterium, unde nunquam in suam
Sedem est reversus, Attiniacensi enim Placito anno 765.
al. 762. celebrato, subscriptit de monasterio S. Mauricii. Hujus-
que successori Bertherio videmus, Adrianum restituere Me-
tropoliticam dignitatem, perinde atque aliis Galliarum Ar-
chie-

Baron. an. 738.

chiepiscopis, an. 774. Argumentum minime dubium, quod novennale Pipini bellum in Aquitania pro Ecclesiæ rebus vindicandis contra Waifarium anno 768. confectum, parum profecerat. Quamobrem tres alii Episcopi Metropoleon urbium Septimaniæ, qui adsunt Concilio Stephani III. Bituricensis, Burdegalensis, & Narbonensis haud feliciores ceteris sunt credendi. Quæ ut gratis non afferam, quæcumque, ex iis septem, Metropoles in pristinum restitutæ ab Adriano, post initam cum Rege Carolo præfatam concordiam, inveniuntur traditione Pallii earum Archiepiscopis, hic subjiciam.

Primæ omnium occurunt Remensis, & Moguntina, quarum Episcopis Pallium se esse largitum Adrianus ipse testatur in saepe laudata epistola ad Tilpinum Remensem, cuius principium Remensis Pallii testis est, finis vero Moguntini. *Quia*, Tilpinum alloquens inquit, *ad petitionem spiritualis filii nostri, & glorioſi Regis Francorum Karoli præbente tibi bonum testimonium de sanctitate, & doctrina Fulrado amabilissimo Abbe, Franciæ Archipresbytero Pallium secundum consuetudinem tibi transmisſe nos cum privilegio, ut Metropolis Ecclesia Remensis in suo statu maneret, bene memoramus &c.* Et de Lullo Moguntino loquens, his epistolam verbis claudit: *Expositam, & conscriptam, & manu sua propria subscriptam Catholicam, & Orthodoxam fidem per missos suos cum literis, ac testimonio tuo, seu aliorum Episcoporum, (Viomagi, & Possessoris) quos tecum esse mandavimus, ad nos dirigat, ut Pallium illi, secundum consuetudinem transmittamus, & ordinationem illius firmam judicemus, & in eadem Sancta Ecclesia Moguntina Archiepiscopum constitutum esse faciamus.* Hanc Adriani epistolam refert Cointius ad annum 775. quod si ita est, Remensis Archiepiscopus, aut ante colloquium Adriani cum Carolo factum superiori anno, aut paulo post, sacrum Pallium obtinuit: Moguntinus vero post hanc epistolam; nam fidei professio primummittenda ab illo erat. Quam fidei professionem ab Episcopis Francis petitam, quia ejus similis haud dubie fuit, quam Bonifacius, dum Romæ ordinaretur, edidit, & manu sua subscriptam obtulit, ut extat inter Gregorii II. epistolas, non erit abs re hic spectandam propo-

VIII.
Remensis, &
Moguntina Me-
trapolis instau-
rantur circa an.
775. cum subje-
ctione S. Sedi.
Flod. Histor.
Rem. I. 2. c. 17.

52 D I S S E R T A T I O N I S

nere in Indiculo S. Bonifacii , tanquam maximum reveren-
 tiæ , atque obedientiæ Gallicanorum Præsulum S. Sedi mo-
 numentum : *Promitto ego Bonifacius Dei gratia Episcopus , tibi*
 Garner. in-
 Diurn. Pont. tit.
 VIII. cap. III.
B. Petro Apostolorum Principi , Vicarioque tuo Beato Gregorio Pa-
pæ , & Successoribus ejus , per Patrem , & Filium , & Spiritum
Sanctum , Trinitatem inseparabilem , & sacratissimum Corpus
tuum , me omnem Fidem & puritatem S. Fidei Catholicae exhibe-
re , & in unitate ejusdem Fidei , Deo operante persistere , in qua
omnis Christianorum salus sine dubio esse comprobatur , nullo mo-
do me contra unitatem communis , & universalis suadente quo-
piam consentire : sed ut dixi fidem , & puritatem meam , atque
concursum tibi , & utilitatibus Ecclesie tuae , cui a Domino Deo
potestas ligandi , solvendique data , & prædicto Vicario tuo , at-
que Successoribus ejus per omnia exhibere . Sed et si cognovero
Antistites contra Instituta antiqua SS. Patrum conversari , cum
eis nullam habere communionem , aut conjunctionem : sed magis si
valuero prohibere , prohibeo ; sin minus , fideliter statim Domino
meo Apostolico renunciabo &c. Hujusmodi se obligabat sacra-
 mento S. Bonifacius , quum an. 723. ordinabatur Episcopus
 a S. Gregorio II. in urbe Roma . Eodemque Francos om-
 nes Episcopos cum suo quemque Metropolitano , & Metro-
 politas cum Romano Pontifice se obligasse idem Bonifacius
 Cod. Bonif. ep.
 205. testatur : *Eodem modo , quo Romana Ecclesia nos ordinatos cum*
sacramento constringit Sic enim , ni fallor , omnes Episcopi
debent Metropolitano , & ipse Romano Pontifici , si quid de corri-
gendifis populis apud eos impossibile est , notum facere .

IX.
 Subjectionem
 S. Sedi Metropo-
 litæ omnes ex-
 primevere tene-
 bantur in pro-
 fessione Fidei ,
 quam mittebant
 Romam .
 Diurn. Pont.
 c. 4. tit. 1. & 2.
 970.11

Ad fidei vero professionem Pallii petitioni adjunctam ,
 manuque ipsius Metropolitæ potentis subscriptam quod spe-
 ctat , certo certius est , mitti consueuisse ab omnibus Epi-
 scopis Romanæ ordinationi non subjacentibus multo ante-
 quam Adrianus ab Episcopo Lullo eam peteret , ita enim
 docent primæ duæ Formulæ Literarum Romanorum Pontifi-
 cum id sacrum Indumentum ad eos mittentium , ubi legi-
 tur : *Fidem autem , quam in tuis epistolis breviter adscriptissi ,*
licet latius explanare debueras , Redemptori tamen nostro gratias
*agimus , quod eam in ipsa etiam brevitate rectam esse cognovi-
 mus .* Harum autem literarum Garnerius autorem facit San-
 ctum Gregorium Magnum , ac proinde non nova obligatos
 le-

lege Gallicanos Episcopos discant, qui secus docent. Huc accedit, quod Gallicani Episcopi, qui nullo eos pro suis co-gente, at ultro, ut Sedes & dignitates per summam injuriam sibi ablatas, ab eo, qui vindicare & asserere illas poterat, Romano Pontifice, restitui obtinerent, *confessi sunt in Synodali conventu unitatem, & subjectionem Romanæ Ecclesiæ fine tenus vitæ velle servare*; S. Petro, & Vicario ejus velle subjici &c. Quam profecto clausulam omnes Metropolitas Franciæ præfatæ Fidei professioni adjunxisse pro certo habeo, ipsis Francorum Regibus non modo non renuentibus, sed scientibus, ac volentibus. Nec parvo hæreo fundamento. Adrianus siquidem rescribens Regi Carolo anno, ut Cointius colligit, 786. qui Pallium petierat pro Hermemberto Metropolita Bituricensi, apertissimis hisce utitur verbis: *Quapropter prædicto Hermemberto a nostra Apostolica Sanctissima Sede, atque autoritate Archiepiscopo constituto in Metropolitaram Civitatem, quæ Bituricas cognominatur, sicut dudum mos existit, sub jure S. Romanæ Ecclesiæ degenti, usum Pallii concessimus fruendi. Quæ palam faciunt non per cuneos meditatum esse Apostolicam Sedem subjecere Gallicanos Antistites, at subjectionem Divino jure sibi debitam fateri ipsis Regibus, quibus non minus grata erat subiectio ista Episcoporum sui Regni, quam ipsis Episcopis, qui eam impense quæsierant, fastidientes Primi, aut Vicario Apostolico subjacere, sicut ante Metropoleon eversionem in Galliis, & alibi, moris fuit. Eam quippe disciplinam, quæ olim viguit, eamdem subjectionem Metropolitis injungere quis neget? Statuitur in Concilio Chalcedonensi, ab Episcopis ad Metropolitas, ab his ad Primates Diœceseon, nempe ad Heracleensem, Ephesinum, & Cœsareensem, ut recte monet Christianus Lupus, sive ad Patriarcham appellari: Si adversus Provinciæ Metropolitanum Episcopus, vel Clericus habet querelam, petat aut Primate Diœceseos, aut Sedem Regiæ urbis Constantinopolitanae, & apud ipsam judicetur. Paremque fuisse ordinem prioribus seculis in toto orbe nos docet Leo Magnus: Provisum est, ne omnes omnia sibi vindicarent, sed essent singulis in Provinciis singuli, quorum inter Fratres prima haberetur sententia. Et rursus quidam in majoribus urbibus constituti sol-*

s. Bonif. ubi
supr.

Adrian. ep. 9.
Cod. Car. 87.

Conc. Chalc.
Canon. 9.

S. Leo M. ep.
84.

licitudinem susciperent ampliorem. Et subjungit (quod Canoni deest, non enim decernit pro universali Ecclesia, sed pro solo Constantinopoleo Patriarchatu:) *Per quos ad unam Petri Sedem universalis Ecclesiae cura confluueret, & nihil unquam a suo capite diffideret.* Quamobrem Metropolitæ, aut Primi ut olim, aut Romano Pontifici, ut mutata disciplina veteri, iisdem communi consensu potentibus, subjacerent, unius semper Apostolicæ Sedis autoritati subjectionem omnem professi sunt. At redeo ad Metropoleon instaurationem, unde aliquantulum sum digressus.

x.
Bituricensis Metropolite instauratio facta anno 786.
Post Remensem, & Moguntinam ab Adriano testitutas, Bituricensem nuper ajebam, petente Carolo per Pallii concessionem instauratam esse anno 786. At quia nolim credi, haud omnium primo Ermeiberto esse datum sacrum Pallium, præstat rem docere ipsis Adriani literis ad Carolum. Reperimus, inquit, *in ipsis Regalibus affatibus vestris*,
87. *ut prælato Ermemberto Episcopo Pallium Sacerdotalibus insulis decoratum ex Apostolica autoritate concederemus*, quia civitas Metropolis in Aquitania videtur esse patria, quæ Bituricas nuncupatur, ubi nunc præfatus venit vir præesse dinoscitur, curamque Pastoralem devotus exercere videtur. Quatenus ignorantis, si canonice in Provinciæ partibus illis jam ordinatus tam a Prædecessoribus nostris, quamque a nobis fuisse, enucleatius eum indagari curavimus, ne usurpationis locus aliquis Sacerdotibus in alterius jure concedatur. Qui præfatus sanctissimus vir nobis confessus est, ut sub nullius Archiepiscopi jurisdictione esse videatur. Ex quibus liquet, Bituricensis Metropolis memoriam fere omnem periisse. Neque id mirum, ut nuper ajebam loquens de Viennensi; quum enim Aquitania I. in Septimania sita sit, easdem vices passa est, quas Viennensis. Quin etiam quæ viciniores Hispaniæ erant Provinciæ, ut Narbonensis & Burdegalensis, tardius cæteris sunt restitutæ. Narbonensem scilicet Carolus Magnus in suo Testamento anno 811. non recenset inter alias, sicut nec Elusanam, nec Aquensem. Quamobrem (quod Baluzius non est assequitus in Commentariis ad Capitularia) Cointius multas inter causas eam recenset, quod post mortem Pipini novis Saracenorum invasionibus ex Provinciæ patuerunt. De Burde-

galensi autem Metropoli hoc affirmant Sammarthani , quod post Bertrannum , qui affuit Concilio Matisconensi , ejusque successorem Gundegisilum : *Multi desunt Antistites usque ad Sicarium , qui Ludovici Pii tempore vivebat . Atque ea propter utriusque Metropolis Episcopi , qui Concilio Stephani III. adfuere , ubicumque locorum , aut gentium degerent , prout conditio ea temporum ferebat , meri erant Episcopi omni Metropolitica dignitate exuti ; nisi & ipsi , ut de non paucis legitur , Choropiscopi , seu Speculatores , quo nomine aliqui occurrunt in Placitis Regum , & Conciliis , vocabantur , quasi certarum regiuncularum in qualibet Dioecesi Speculatores , qui nobis sunt Archidiaconi , Archipresbyteri , & Decani rurales , ait Colvenerius in Scholiis ad Flodoardum .*

Mirabitur fortasse aliquis , Lugdunum , & Turonum extra Septimaniam urbes , & quidem Lugdunensem borealiorem Vienna , ac Turonensem Bituricis , non constare ullo veterum monumento instauratas esse ab Adriano , sive , ut melius dicam , confirmatas traditione Pallii earum Episcopis . At redeat is quæso in memoriam eorum , quæ ad rem adducit Scriptor Francicus eruditissimus : *Si Metropoleon singularum historia , perinde ut Remensis a Flodoardo , mandata scriptis , & ad nos perlata fuisset , aequa numero occurserent in eis exempla petitæ eorum ab Apostolica Sede confirmationis : Quod certum possumus affirmare , honor Metropoliticus omnibus urbium Metropoleon Antistitibus ab Adriano est restitutus , non tamen Pallio confirmatus ; at quo tempore Imperator Carolus suum condidit Testamentum , 811. unam & viginti Metropoles in toto Regno , seu Imperio enumerabat , in quas suos thesauros effundi jubebat post mortem , nempe : Romam , Ravennam , Mediolanum , Forumjulii , Gradum , Coloniam , Moguntiacum , Juvavium quæ & Salzburgum , Treverim , Senones , Vesontionem , Lugdunum , Rothomagum , Remos , Arelatem , Viennam , Tarantasiam , Ebrodunum , Burdigalam , Turones , Bituriges . Quibus ex paulo supra allatis rationibus non adjungit Novempopulanae Metropolim Elusanam , Narbonem primæ Narbonensis , & Aquensem secundæ , ut cum suis quæque Suffraganeis leguntur in Notitia pervetusti Cod. 700. annorum Reginæ*

Scholi. in Flod.
lib. 2. cap. 16.

X I.
Numerus Me-
tropoleon in
Gallia restitu-
tarum tempore
Caroli Magni .

Thomassin. de
benef. 1. lib. 1.
c. 43. n. 7.

Testam. Car.
in to. Concilior.

Schelestr. An-
tig. Eccl. to. 2.
append. n. 8.

Sue-

Sueciæ num. 238. certissimum argumentum, fuisse easdem instauratas post Caroli mortem. Cæterum ut summa piissimi Imperatoris liberalitas inde fulgeat in universas Imperii Occidentalis Ecclesias, mira etiam concordia Sacerdotii, & Imperii agnoscitur ad abolendam Græcorum Cæsarum impietatis memoriam. Etenim Romani Pontifices non solum voluerunt, ut ditio Ecclesiastica tot liberis firmata donationibus Imperii pars diceretur, quippe quam Patricii Romanorum Pipinus, & Carolus summis viribus a Langobardorum immanitate, Græcorumque aviditate defenderant; at Carolo ipsi tot benefactorum gratiam referentes, præclarum Imperatoris Romani titulum elargiti sunt, &, quod antea jugum gravissimum videbatur, confirmationem electionis Romani Pontificis maxima eidem liberalitate concederunt. Gloriata enim est S. Sedes tantum defensorem, a quo est acerime vindicata, immensis adeo beneficiis prosequi, ut perpetuo eidem foedere jungeretur. De quibus fusius, & opportunius in tomo quinto Anastasi Bibliothecarii agitur ad eludendam assentatorum turbam, qui & de jure, & de factis nec pro Imperii, nec pro Sacerdotii dignitate tam multa congerunt; quum sibi persuadeant, hinc Sacerdotium læsum iri, nisi omnia detrahantur Imperio, illinc exitium imminentem Imperio, nisi suis exuatur juribus Sacerdotium: perinde atque obliterata essent monumenta veterum, quibus subdolæ illorum artes patefiunt, qui privatæ magis cupiditati, quam veritati rerum inserviunt.

Quum igitur constet, Galliarum Metropoles omnes ab

XII.
Unicum Senonensem esse Metropolitam confirmatum testatur Concilium Lateranense.

Adriano Papa instauratas, sub Regno, & Imperio Caroli paulatim propria jura recuperantes ab Apostolica Sede per sacram Pallium honorem pristinum impetrasse, tribus exceptis in Septimania; dubitari non potest, quin Concilii Lateranensis tempore, anno videlicet primo Regis Caroli ab Adriani Prædecessore Stephano celebrati, nullus e septem urbium Metropoleon Episcopis, qui aderant, Metropolitani honore frueretur. Secus est de Senonensi, quem una cum Rothomagensi, & Remensi confirmaverat S. Zacharias missis ad Bonifacium Palliis, ut dictum est. Quamvis enim, quemadmodum de Remensi ex Adriani literis, ita de Senonen-

nensi ex conventu Attiniacensi constet , eam Metropolim haudum Pallii concessionē stabilitam , confirmatamque esse , nam Lups , cui successit Willicarius , illi , ut merus Episcopus , subscribit ; tamen in nostro Concilio eum videimus præclaro Archiepiscopi nomine conspicuum statim post Sergii Ravennatis Legatum sedere , & iterum Archiepiscopum Galliarum vocari audimus , dum Acta invasionis Pseudo-Papæ Constantini accipit e Primicerii manibus , traditque Notario Regionario , ut ea relegat coram Concilio . Quamobrem aut Pallium ei miserit in Franciam S. Paulus , aut Romam venienti cum reliquis ad Concilium Stephanus III. dederit præsenti , certe Willicarius Senonensis erat Archiepiscopus . Hæc de Sedibus Metropolibus Franciæ , quæ tantum non nullis negotiis facessunt , ut Archiepiscopum Senonensem credant Primatem , ne alios honore Metropolitarum vacuos fateantur . Ii vero , ut videant , quam recte id contendant , præter allata superiori capite , unum hoc velim secum reputent , quod si Senonensis fuisset quid majus Metropolita , quemadmodum reliqui Francorum Episcopi omnibus Italiam præfederunt , ita & is Ravennatensis Legato potiori titulo præsedisset : dum e contrario hunc illi posthabitum vident , quia videlicet Metropoliticæ dignitatis habebatur ratio . Cur autem Ravennatensis præiverit Senonensi , ostendam sequenti capite , dum de Italiam Sedibus verba faciam ; alia enim ejus rei causa fuit , quam quod æquum non videretur antiquiori , qui ab anno circiter 752. erat consecratus , præferri nuperimum Metropolitam , qui Lupo successerat post 765. aut ad summum 762. & Pallii sacrum indumentum verosimiliter paucis ante Concilium diebus acceperat . Sed opportunius de his agam , postquam de quatuor Suffraganeis Sedibus verba fecero , quæ quum Metropolibus admixtæ sint , aperte ostendunt , nullum per ea tempora inter illas discrimen fuisse .

Eæ vero sunt , *Meldensis* , *Juvavienensis* , *Lingonensis* , *Noviomensis* , sive , ut ipsis verbis utar Codicis , *Meltensi* , *Johabione* , *Lingonicensi* , & *Noviomu* . Ac primum de Meldensi . Hæc profecto Suffraganea Senonensis Archiepiscopi Sedes cur vindicanda mihi videatur , est barbara nostri Codicis

XIII.
De Suffraganeis
Sedibus , qua-
rum Episcopi ad-
fuerunt Concilio .
Ac primum de
Meldensi .

Scriptura. Posset enimvero alicui dubium esse, num Mettenis pro Melensi legendum sit: nec levi inniteretur fundamento ejusmodi dubitatio. Si enim Mettenis urbs Mediomatricum Suffraganea Trevirensis in Belgica I. ea esset, non videretur admiratione dignum, Bulferamum ejus Episcopum sedere ante omnes Metropoleon urbium Antistites. Nam constat, Metensem Episcopum, quum integro post hoc Concilium seculo Pallium obtinuit ab Joanne VIII. cum subjectione tamen suo Metropolitæ Trevirensi, quatuor Prædecessorum exempla attulisse, qui sacro illo Indumento ornati fuerant. Quorum aliquem attigisse tempora hujus Concilii confirmant Annales Fuldenses Lambeciani, aliique Annales Francorum a Lambecio ex Bibliotheca Cæsarea evulgati: in primis siquidem anno 765. & in alteris num. 26. hæc leguntur: *Hruotgangus Metensis urbis Archiepiscopus corpora SS. Gorgonii, Naboris, & Nazarii a Paulo Romanae Sedis Apostolico de Roma in Franciam transstulit.* Ubi utquumque pro Archiepiscopo non accipiatur Metropolita, sed merus Suffraganeus dignitate minor Metropolita, majorque Episcopo, juxta phrasim Græcorum, quos observat Christianus Lupus posteriori ævo ab antiqua hierarchia recedentes novam condidisse, Episcopalem ordinem ita distinguendo: *Patriarcha, Primas, Metropolita, Archiepiscopus, Episcopus*; tamen ipsa Pallii prærogativa reliquis eum Suffraganeis, & proinde ipsis Metropoleon urbium Episcopis præferendum exegisset, quum præsertim non ignoremus, Æduensem, sive Augustodunensem, & Autissiodorensem in Francia Episcopos, quos alibi Metropolitas solo nomine appellatos dixi, cum Pallii usu multa privilegia eidem adhærentia assecuratos, quæ ne illum detrimentum inferrent Metropoliticæ autoritati, cavendum præcipue fuit a Romanis Pontificibus, ut liquet ex laudata sæpius epistola Adriani ad Bertherium:

Adrian. ep. 9.

Nec propterea, inquit, ulla Metropolis præjudicium patiatur, si alicui Suffraganeorum, aut nos, aut Prædecessores nostri rogantibus piis Francorum Ducibus, Pallium largiti sumus. Omne autem dubium tollitur, vereque Bulferamum esse Episcopum Meldensem constat ex Catalogis ejus Sedis Episcopalis in Gallia Christiana, ubi legitur ordine XXXII.

Vul-

Schol. ad Can.
12. Conc Chalc.
& c. 3. append.
ad Latr. Ephes.

Vulfrannus, qui etiam conventui Attiniacensi interfuit. Sammarthani quidem nudum habent ejus nomen, non enim vi-derant Attiniacensem illum conventum in editione Conciliorum Labbeana postea vulgatum: at Sirmundus, aliique omnes eum sequuti, qui e schedis Panvinianis Episcoporum nomina didicerunt, ne nomen quidem Vulfranni, quippe in iisdem non extans, audierunt. Ceterum in nostro Co-dice, ut in Bonifaciano, aliisque eorum temporum solenne est literas *d*, & *b*, in *t*, & *u* convertere & contra; idcirco Reverentissimus pro Reverendissimus, Meltensis pro Meldensis, & his similia frequenter occurrunt.

De *Joabione* dicendum esset; at quia tum de hac Se-de tum de *Burtevulgi* alia Sede, quam Burdegalam inter-pretor, loquentem me oportuit conjecturam sequi, de duabus aliis Lingonensi, & Noviomensi, quod est dicendum, expediam. Ad Lingonensem, quod attinet, præter varieta-tum nominis, nam Linguonum in Adriani Codice appella-tur, Lingonum in aliis notitiis, & Lingonicensis in nostro Codice, illud dignum observatu est, quod quum sit Suffra-ganea Lugdunensis, post quatuor aliarum Provinciarum Epi-scopos ejus Antistes confidet, ac præcedit Remensem; quæ duo mirum in modum confirmant, & duodecim inter Francorum Episcopos unum Senonensem fuisse Archiepisco-pum, & reliquos omnes tam urbium Metropoleon, quam Suffraganearum, meros Episcopos. Nam Metropolitanis Suf-fraganeos admisceri quandoque consueisse ex Conciliis li-quet, at de Comprovincialibus id evenisse æque constat; quare si post Lugdunensem sedisset Lingonensis, res proce-deret. Deinde cur alias Metropoleon Præsules sequitur, Remensem vero præcedit? Certe nisi aliunde palam factum esset, nullam eos inter prærogativam præter consecrationis antiquitatem servari, vel hinc rei veritas pateficeret. Quod equidem lubens animadverti, quia secus est de Meldensi Suffraganea Senonensis, quæ sola Ostiensi dividitur a sua Metropoli; & de Noviomagensi, quæ statim sequitur Re-mensem, ita ut nisi Lingonensis quæstionem definiret, vin-dicanti Metropoles Galliæ illo etiam ævo calamitosissimo adminiculum aliquod non deesset. De Noviomensi autem,

xiv.
De Lingonensi,
ex Noviomensi
hucusque igno-
rata.

seu Noviomagensi Sede, quam Notitia Reginæ Sueciæ Verendum, idest Noviomacum, & Veromandorum appellat Notitia Adriani, hoc innuere satis erit, quod inter Episcopos incertæ Sedis apud Panvinum est Giselbertus Noviomensis; Sedes enim omnibus perquam nota. Veniam modo ad alias duas Sedes Panvino ignotas, quæ in Codice appellantur *Joahione*, & *Burtevulgi*; mihi autem sunt Juaviensis, & Burdegalensis. Ac primum de hac postrema, quam inter Sedes Metropoles recensui.

XV.
De Burtevul-
gi Sede conje-
cta.

Evidem fateor, quum reproto Annales, & monumen-
ta veterum saepius evoluta, ut, si quem maxime secretum
aut vicum, aut pagum hi duo Episcopi Ermembertus, &
Verabulfus incolerent, dum eorum Sedes a laicis occupa-
bantur, reprehenderem, indicante vocum similitudine,
Scriptoris oscitantiam detestor, qui duo Sedium Episcopali-
lum nomina ita corrupit, ut enodandæ difficultati nulla
profuerit conjectura. Quotquot novi amicos rerum veterum
scrutatores, ab iis petii, quin etiam efflagitavi, ut certi
spe fenoris hasce mihi urbes, aut vicos in Francia quære-
rent; nequicquam meum, nequicquam alienum sum pericli-
tatus ingenium. Ad eruditissimum virum Bartholomæum
Campagnolam me converti, ut iterum spectaret Codicem,
is vero, quæ est singularis ejus benignitas, morem gessit:
at legit iterum, quod, maxime spectabili in legendis vete-
rum Codicibus peritia, semel legerat: *Joahione*, & *Burtevul-
gi*. Quid igitur facerem? Imitarer eos, qui rem eruditis
ingratam ne faciant, intacta edunt in lucem monumenta
veterum? Non ea mihi mens fuit: meam volui opinionem
præmittere vel rejiciendam, dummodo quod mihi fuit re-
pertu difficillimum, facilitori negotio ab aliis docear, & Ec-
clesiastica historia illustretur. Burtevulgum itaque interpre-
taturus, primo Wirceburgum, seu Wirtzeburgum, Herbipoli-
num nimirum, ob vocis similitudinem ipsissimam eam esse
Sedem ratus sum, nam Burisburgensem, seu Buraburgen-
sem Sedem una cum Wirceburgensi a S. Bonifacio constitu-
tam in Hassia anno 741. quidquid vocis æque similitudine
invitarer, prætereundam suasit modica ejus Episcoporum no-
titia; quippe post Wittam, seu Albuinum, quem omnium
pri-

primum constituit S. Bonifacius, multas offendit tenebras usque ad annum 795. quum Paderbornensi Cathedra excita- ta, Buraburgensis cum eadem coaluit. Wirceburgensis vero idcirco præ aliis obversabatur animo, quia ejus primum Antistitem S. Burchardum vidi celebrem legationibus ad Apostolicam Sedem, teste libro Pontificali; at Megingaudum, seu Megingozum, qui Attiniacensi Placito interfuit, Successorem videlicet S. Burchardi, in Chronico Wirtziburgensi apud Baluzium tom. 1. Miscellaneor. video an. 784. e vivis discessisse; & quamquam cum Pagio an. 754. n. 21. & 774. n. 19. ejus Episcopatum ad quindecim coarctaverim annos, tamen ab anno 753. quum S. Burchardo eum successisse Pagius contendit omnium Chronologiam retro trahens, vix mihi remanebat spatum inferendi Verabulfum inter Wirtziburgenses Episcopos, contra fidem Catalogorum ejus Sedis. Quare meditatio omnis inanis fuit, studiumque omne inutile, meque ut alio verterem opus fuit, ne incertam Panvino Sedem, beneficio Codicis emergentem, paterer ob Scriptoris barbariem latitare.

Secus est de Burdegalensi, cuius Sedis tot annorum hiatus novo huic Episcopo dat locum satis amplum. Nec nefarii Aquitaniæ Ducis Waifarii usurpationes sacrilegæ impedimento fuerunt, quin Aquitaniæ Cathedræ suos haberent Episcopos, ut manifeste ostendunt Bituricensis, ac præser- tim Narbonensis, cuius Sedes e Saracenorum manibus erpta erat ante annum quartumdecimum, quum Concilium Stephani III. celebrabatur. Huc accedit, quod quamquam toto novennalis spatio belli, Rex Pipinus trans Garumnam perveniens cum milite, non dicitur in Annalibus aut aggressus esse, aut expugnasse Burdigalam, ut de aliis tot Civitatibus iidem referunt inter Ligerim, & Garumnam; quum tamen ejus Suffraganeas Aginnum, & Petrocorium expugnatas memorant, ceteras urbes finitimas ulro in Pipini ditionem venisse affirmant. Quapropter Burdigalam æque, ac aliæ Aquitaniæ urbes, piissimi Regis sub potestate existentem non habuisse Episcopum per hæc saltem tempora, vix ausim cogitare. Quid autem vero esse similem contendere rem certam? Posito, ut æquum est, quod nostro in

xvi.
Eam esse Bur-
degalem sem de-
tegitur.

Codice ; quemadmodum in literis Pontificum , Codice Bonifaciano , aliisque innumeris monumentis medii ævi , t pro d , & contra d pro t , ut plurimum adhibeatur , ut videmus in Reverentissimis , Meltenſi , capud , caput , &c. cuiusnam alterius urbis in amplissimo Francorum Regno dimidium nomen Burde auditur ? Nullam profecto urbem , quid dico urbem ? Nullum Pagum , aut Vicum tota antiquitas ita appellatum in Francia testis est . Quamobrem , ut non repetam meliorem Burdigalæ conditionem ab anno 727. a victoria nimirum Caroli Martelli , & Eudonis Aquitaniæ Ducis insigni de Saracenis , qui Burdegalam cuperant superiori anno , atque omnia late vastantes , Ecclesias exusserant , ab anno minimum 755. quum Pipini virtute ultra Pyrenæos expulsi sunt , cœperuntque ubique instaurari Ecclesiæ , quarum res postmodo Waifarius invasit , Burdegalensi in Cathedra , ut in Narbonensi , aliisque , suum fuisse constitutum Antistitem certum mihi est . Ac proinde ante Sicharium , ejusdem Sedis Episcopum tempore Ludovici Pii , qui Sammarthanis est primus post duorum fere seculorum silentium , Verabulpus , qui Concilio Romano interfuit , constituendus est , cui fortasse una cum aliis Franciæ Metropolis Adrianus dignitatem restituerit , ut fidem facit Notitia Provinciarum data Regi Carolo quinque post Concilium annis . Hæc de Burtevulgi Sede mea opinio .

XVII.
De Sede Joa-
hione conjectu-
ra.

Mabill. Ana-
lect. to. 4.

Postremam omnium XII. Franciæ Episcoporum Cathedram , licet ordine octavam , esse volui , quam vocat Codex Joahionem . Nulla enim conjectura , quænam ea sit , assecuratus , qua via in ejus cognitionem prodire molitus sim , eruditis patefaciam necesse est . Animadverti , Saltzburensem , sive Salisburgensem Cathedram , quam Leo III. Adriani Successor Archiepiscopali honore conspicuam reddidit , proprio & antiquo nomine , fortasse ab eam alluente flumine , Juvaviam appellari ; quemadmodum frequens Juvavensis Episcoporum nomen in Conciliis comprobatur . Hinc est , quod diligenter spectatis Francorum vastissimi Regni uribus , nullius nomen affine Joahioni Codicis deprehendi : hanc quippe Anonymus Poeta apud Mabillonum de Salisburgensibus Episcopis , appellat Juvavonem :

Di-

Dicta Juvavo fuit quondam Metropolis ista:

Et in Itinerario Antonini *Jovavi* dicitur, ac denique in saepe laudata Notitia Reginæ Sueciae *Juvano*; in ea siquidem post Germaniam II, ita legitur: *Provincia Bajoariorum, idest Noricus Ripensis super Danubium, sive Noricus mediterranea, habet Civitates numero sex. Metropolis Civitas Jovano, idest Salzburg.* Quare ad nomen urbis, quod attinet, nullam certe *Joahioni* similiorem reperire est *Juvavone*, seu *Juvavone* Notitiæ, & Anonymi. Huc accedit, quod hujus Concilii tempore Bajoaria ad Regnum Francorum pertinebat, quod docet Pipinus ipse apud Annalistam Metensem anno 743. dum Sergio Presbytero S. Zachariæ Legato: *Nunc vero, inquit, certus esto, per intercessionem B. Petri Apostolorum Principis, & per judicium Dei, quod subire non distulimus, Bajoarium, Bajariosque ad Francorum imperium pertinere.* Certe Aquitanæ Dux Thassilo II. Odilonis filius, qui in conventu Compendiensi sacramentum fidelitatis præstiterat Pipino Regi, & ejus Successoribus, e placito Nivernensi anno 763. Aquitanici belli quarto, celebrato: *Postpositis sacramentis, & jurando, ait Annalista Metensis, quod quondam Regi Pippino Avunculo suo promiserat, sine licentia ejus ad usque Bajoarium fugit, & numquam amplius faciem Regis Pippini videre meruit.* At ea secessione ob privatas, ut reor, simultates a Pipino Thassilonem non defecisse testatur nullum alterutra ex parte suscepsum bellum; dum contra idem Thassilo Paulum Papam enixe orare, & obtestari statim cœpit, ut hujus prolatis literis ostendit Pagius, pro reconciliandis animis; tametsi non legatur Thassilo in gratiam rediisse cum Pipino. Quam rem evidentius comprobat renovatio sacramenti, quod idem præstitit Regi Carolo ab Adriano per Legatos admonitus: *Ut recordaretur priorum sacramentorum, & non aliter ficeret, nisi sicut jurejurando jam dudum promiserat Pippino Regi, & filiis ejus.* Quibus admonitionibus consensit Thassilo. Et si quando veræ defectionis indicum dedit, ut Annales evenisse produnt an. 787. exercitu in suam Ditionem deducto, sacramenta renovare est compulsus, filio inter obsides dato.

Pag. an. 763.
num. 4.

Idem seq. an.
num. 5.

Regno ap. Pag.
781. n. 1.

XVIII.

Examinatur
num fuerit Juvaviensis , Ca-
talogi Salisbur-
genium Antisti-
tum vindicato ,
contra Pagium .

Esto igitur : Juvaviensis ea Sedes fuerit , indeque alios
inter Francorum Episcopos ad Concilium venerit Hermem-
bertus . Quid postea ? Graviorem multo difficultatem mo-
vet ingens Recentiorum quæstio de Salisburgensium Episco-
porum æratibus , qui unanimes Hermembertum excludunt .

Et sane duobus ii monumentis inhærent non modicæ auto-
ritatis : primum est Catalogus Comprovincialium Episcopo-
rum a Poeta Anonymo æquali Regis Ludovici Pii scriptus ,
quem supra laudavi ex Analectis Mabillonii ; alterum est
Catalogus descriptus an. 1186. a S. Eberhardi Salisburgen-
sis Archiepiscopi discipulo , editusque a Canisio in antiqua
lectione . Utrique jure inhærent Henschenius in vita S. Rud-
berti primi Salisburgensis Episcopi , & Antonius Pagius in
sua Critice . Iisdem antiquior ita habet :

Henschen. die
27 Martii .
Pag. an. 96.
u. 10. & seqq.

*Dicta Juvaro fuit quondam Metropolis ista ,
Quam primo fundans Hrotbertus rexerat almus .
Post hunc Vitalis Antistites rexit eamdem .
Ipsius inde Flobarginus , qui est fultus honoris .
Quartus Joannes fuerat , Sedemque regendo .
Advena Virgilius Statuens quamplurima quintus .
Multo plures gerens Arno super omnia sextus .
Septimus hinc successit Adarlam Pastor opimus ,
Tempore namque suo statuens quamplurima pulchre .
Octavus veniens Liuframus Praeful oivilis ,
Officium Domini renovans formosius æque .*

Recentior vero Catalogus antiquiorem illustrat , ut mox pla-
num fiet : Igitur , ait , post discessum beatissimi Rudberti Pontificis
vir clarus omni populo , egregiusque doctor , & seminator verbi
Dei Vitalis Episcopus Sedem Juvarensem regendam suscepit .
Post cuius transitum Anzologus exitit Abbas . Post cuius de-
positionem prædictæ Sedi adhæsit Savolus Abbas . Cujus vitæ fi-
nito cursu Ezius Abbas successit . Quo migrante de seculo , ite-
rato illo , Sedes honorata refulxit Episcopo Flobargiso . Postquam
Joannes Pastoralem gessit in Sede præfata curam . Post Ioan-
nem vero , ut legit etiam Pagius apud laudatum Scripto-
rem vitæ S. Rudberti , in brevi Indice : *Joannes Episcopus ,
Bertricus Abbas , S. Virgilius Episcopus , Arno Archiepiscopus ,
Ammilon Abbas recensentur , & in fine Catalogi hæc satis*
per-

perspicua verba successionem Episcoporum, Abbatum, & Archiepiscoporum confirmant: *In Catalogo istorum Episcoporum quinque Abbates continentur, qui absque Pontificali ordine, & dignitate regebant Episcopatum Juvavensem.* Hi vero sunt *Ansologus, Savolus, Ezius, Bertricus, Ammilon.* Nemo non videt, quantum merentur fidem hi Catalogi, namque ex nonminibus Episcoporum summa ubique concordia enumeratis palam fit, non esse ea deducta nisi ex ipsis antiquis tabulis Salisburgensis Ecclesiae: hoc licet discrimen inter utrumque sit, quod primus nonnisi Episcopos, alter vero Abbates inseritos Episcopis numerando recenset. Hundius, Cointius, aliquique passim Catalogum secundum amplectuntur, neque hac in parte interpolatum ullus eorum credidit. Sed Antonius Pagius nactus occasionem animadvertisendi in Annalium parentem (qui S. Rudberti adventum in Bajoarium recte collocat ineunte septimo seculo) ducibus praesertim viris eruditissimis Hadriano Valesio, & Mabillonio, vera falsis misceri, ac proinde nullatenus secundo Catalogo audiendum esse contendit.

Infinitam revera questionem aggrederer, si præferendam Baronii sententiam autoritate Catalogi per capita singula demonstrarem; quapropter amplissima messe relicta, spicilegio contentus ero. Integro vir doctissimus producit seculo adventum S. Rudberti, primumque Juvavensem Episcopum esse factum autumat non 628. cum Baronio, & aliis, sed anno 702. deinde angustiis temporum pressus, nam anno 739. Joannem a S. Bonifacio creatum esse negari non potest, Rudbertum, Vitalem, & Flobargisum intra septem & triginta annos coarctat. Fuerit vero Sedes horum trium Episcoporum brevissima; nullusque eorum trans octavum seculum abjiciatur: at S. Bonifacius in Bajoarium veniens, seu rediens anno prædicto, quatuor in ea Episcopatus instauravit, qui suis jamdiu Pastoribus erant vacui, præter Pataviensem, cuius Episcopum paulo ante ordinaverat S. Gregorius III. Audiatur idem S. Pontifex diuturnum Episcoporum silentium, integer testis, affirmans. Bonifacium invenisse ait Bajoarios: *Extra ordinem Ecclesiasticum viventes, dum Episcopos non habebant in Provincia, nisi unum nomi-*

XIX.
Pagius a Ba-
ronio recedens
in Chronologia
S. Rudberti Sa-
lisburg. Ep. ar-
guitur.

S. Greg. ep.
ap. Bar. 739.

ne Vvinilum, nempe Pataviensem. Et infra prosequitur, Bonifacium compellans: *Presbyteros autem, quos ibidem reperi-
sti, si incogniti fuerint viri illi, a quibus sunt ordinati, &
dubium est, eos Episcopos fuisse, qui eos ordinaverunt, si bona
actionis, & Catholici viri sunt ipsi Presbyteri, & in ministe-
rio Christi, omniisque lege sancta educati, ab Episcopo suo bene-
dictionem Presbyteratus suscipiant, & consecrentur, & sic mi-
nisterio sacro fungantur.* Quid? Tanta fuerit Successorum
S. Rudberti, Vitalis, & Flobargisi, quin Sancti ejusdem
Rudberti vecordia, ceterorumque Bajoariæ Episcoporum,
quos Pagius Poetæ Anonymi autoritate restituit, ut non
modo Ecclesiæ omnes viduæ post eorum mortem derelictæ
sint, at nullus in toto Ducatu Presbyter rite ordinatus in-
veniatur? Sit fides Pagio. Evidem doctissimo Cardinali
adhærens cum secundo Catalogo ita persequor Juvavensium
Episcoporum historiam. S. Rudberto ad superos revocato,
primum Episcopus Vitalis, deinde tres Abbates Anzologus,
Savolus, Ezio usque ad principium octavi seculi, octoginta
circiter annis ab ejus institutione, Ecclesiam, immo totum
Episcopatum Juvavensem administrarunt. Ezio autem (utar
verbis Catalogi) *migrante de seculo, iterato illo, quid clari-
rius?* Mortuo videlicet post coepit octavum seculum, *Sedes honorata resulfit Episcopo Flobargiso*, post cujus mortem
malo per totum Francorum Regnum late gliscente, Juva-
vensis Ecclesia, ut aliæ Bajoariorum Sedes S. Bonifacio te-
ste, vacavit, vix unico Pataviensi Winilo a S. Gregorio III.
ante adventum S. Bonifacii ordinato superstite.

xx.

*Quare Abbates
inferantur Epi-
scopis Salisbur-
genibus in Ca-
talogo?*

At, ne forte alicui, ut Pagio, male oleant verba,
quæ in fine Catalogi leguntur: *Quinque Abbates continentur,
qui absque Pontificali ordine, & dignitate regebant Episcopatum
Juvavensem, animadverti oportet, quod ab ipso Episcopa-
tus fundatore S. Rudberto conditum fuit Monasterium S. Petri
Apostoli, inque eo stabilita Sedes Episcopalis, unde non
est translata, nisi post ædificatam a S. Virgilio Ecclesiam
in S. Rudberti honorem, quo una cum ejus, ac sociorum
S. Cunaldi, & Gilisarii sacræ pignoribus Sedem Episcopa-
lem advexit, relicta Monasterii cura Abbatii Bertrico, ut
legitur in hujus vita, quod removet omne dubium, quin-
cre-*

credamus, quod summa in ea temporum difficultate, quam satis pro meo munere jam descripsi, Sedem vacantem ipsi Abbates administrarint, absque Pontificali tamen ordine, & dignitate, ut cavetur in fine Catalogi. Tuni vero quis munere Episcopali fungeretur, non enim chrisma conficeret, aut sacras peragere ordinationes poterant Abbates, incerta res est. Quare Henschenius ad vitam S. Rudberti observat, Salisburgensem Cathedram toto seculo septimo adhæsisse Antistitibus Passaventibus, seu Pataviensisbus: & alio loco docet, quod quum Sedes Frisingensis carebat Episcopo, eidem Advenae aliqui, qualis S. Emmeramus fuit, Episcopalem aliquando impenderunt curam; quam rem etiam Pagius affirmit agens de ejusdem S. Emmerammi martyrio, ubi contra Sammarthanos ostendit, eum numquam fuisse Pataviensem Episcopum. Idemque testatur Anonymus apud Canisium in S. Virgilio, dum ait, quod Rex Pipinus Virgilio concessit Episcopatum Salzburgensem Rectore vacantem: *Iisque diffimulata ordinatione ferme duorum annorum spatiis, habuit secum proprium Episcopum comitantem de patria, nomine Dobda ad persolvendum Episcopale officium.* Unde patet, quod, quemadmodum S. Virgilius consecrationem Episcopalem protrahens, in Dobdæ humeros omne onus reclinabat, ita peregrinum aliquem Episcopum illuc pervenientem Abbates, qui absque Pontificali dignitate identidem regebant Ecclesiam, enixe orabant, ut Frisingensi in Episcopatu Pastoris munere fungeretur, quidquid non commissos sibi greges pacere prohibeatur Episcopus, nam contra necessitas suadebat. Quare hanc ego Sedis Juvavensis consuetudinem considerans, ac præterea affinitatem nominis, & vacationem saepè diutinam, mihi blandiebar Hermemberti sedem, seu moram, fortasse a propria profugi, fuisse Juvavie: putabamque, obid non vocari Episcopum Juvavensem, sive, ut barbare loquar cum Codice, *Joahionis*, sed *Joahione*, quasi degentem ea in urbe, ibique officio fungentem Episcopali, dum Abbas Bertricus regebat Ecclesiam, absque Pontificali dignitate.

At rem incertam incertioribus semper confirmandam invenio. S. Virgilii, qui ex laudatis Catalogis in Sede

Acta SS. To. 3.
Mart. pag. 702.
num. 10.
Pag. 652. n. 8.

Tom. 6. Ant.
Lect. pag. 1174.

XXI.
S. Virgilii etas
controversia.

Juvavensi successit Joanni post Abbatem Bertricum, stabili-
re ætatem oportet: nisi enim est factus Episcopus post Con-
cilium hoc Lateranense, conjectura omnis evanescit. Hunc
ex Hibernia in Galliam venisse refert Anonymus, ubi ab
Canis. Ant. Lect.
to. 6. pag. 1174.
illustri Francorum Rege Pipino, qui Majordomus dicebatur,
apud Carisiacum honeste exceptus fuit, cumque eo moratum
esse duobus annis. Temporibus vero, prosequitur, Ottilonis
Ducis Bavrorum, qui tunc cum tota Norica Provincia subje-
ctus fuit prædicto Regi Francorum, Salisburgensis Ecclesia, quæ
ab antiquo vocabulo a juvando dicta fuit Juvavia, proprio ca-
rebat Episcopo. Huc igitur missum ait Virgilium, qui sua
consecratione per biennium dilata, Episcopali munere fun-
gentem secum habuit Episcopum comitantem de patria, nomi-
ne Dobda, at populis demum id flagitantibus, ordinatus est
a Provincialibus Praefulibus anno nativitatis Domini 767. XVII.
Cal. Jul. Deinde fundatam ab eo narrat, consecratamque
Cathedralem Ecclesiam, cuius loci, ajens, in tertiodecimo an-
no consecrator exitit. Evidem tot tantisque scatentem men-
daciis narrationem Anonymi, qui pluribus post Virgilium
seculis eam conflavit, miratus sum eruditissimos viros, præ-
fertim Mabillonum, Henschenium, & Antonium Pagium non
modo, ut par erat, non ablegasse; at unumquemque eo-
rum adoptasse, suscepisseque Augiæ stabulum repurgandum.
Summa tantum capita novissimi horum legam, qui aliorum
opiniones ad trutinam revocavit, ne longius æquo aberrem
ab instituto. At prius Anonymi conflatoris præcipua vitia
indicabo. Anno 741. occubuit mortem Carolus Martellus,
Regnumque ante mortem divisit inter filios Caroloman-
num, Pipinum, & Griphonem, cuius portionem invisam
Pag. an. 741.
num. 19.
Francis brevi fratres absumscere: Primogenito suo, ait conti-
nuator Fredegarii, Carolomanno nomine, Auster & Suaviam,
quæ nunc Alemannia dicitur, atque Thoringiam tradidit. Alteri
vero secundo filio juniori Pippino nomine, Burgundiam, & Neu-
ster, & Provinciam permisit. Itaque hi Majores domi an-
no 742. creato Rege Childerico III. post annorum sex in-
terregnum, ut sibi amoverent invidiam, in sua quisque
parte regnarunt, junctis quandoque armis ad debellandos
hostes, ut anno 743. quum Bajoarios subegerunt. Pipinus

ve-

vero non fuit Majordomus Francorum , nisi postquam anno 747. Carolmannus induit monachum relicto Regno . Anno autem sequenti , nimirum 748. Annales Bertiniani aliique apud Pagium testantur Thassilonem Odilonis filium a Pipino esse factum Bajoariæ Ducem . Itaque illius quadriennii spatio inter 743. & 748. mitti potuit Virgilius Odiloni , cuius temporibus , ait Anonymus , Ecclesia Salisburgensis proprio carebat Episcopo . Et Joannes , quem nuper , anno videlicet 739. S. Bonifacius illi Ecclesiæ præfecit , cui Catalogos tribuere annos 20. Wiguleus Hundius observat , ubinam gentium , locorumve erat ? At Scriptori postero prævertenti Majordomatum Pipini , & Carolomanum ne-
scienti hæc permittantur . Biennii moratum ait Virgilium cum Pipino , duobusque fere annis ordinationem Episcopalem distulisse , atque esse a Comprovincialibus ordinatum anno 767. XVII. Cal. Jul. idest die 15. Junii , nec Dominico scilicet , nec festo die . Benigne hic etiam agamus cum Anonymo : biennum illud Virgilius insumerit regnante jam Thassilone in Bajoaria . Quid ? Ab anno 748. seu 749. ut habent Annales Fulenses , ad annum 767. numeratur biennum ? At audiamus Criticum Baronii , cuius in solvendis hujusmodi nodis est ars mirifica .

Abjiciendas contendit Pagius Notas omnes Chronologicas , nudamque narrationem rei retinendam . Itaque ordinatum Virgilium docet anno 746. , ut mea in Chronologia Cæsarea Pontificia indicavi , fidem relinquens Pagio ipsi . Idem vero , qui omnia adoptans monumenta Canisi , vel prædicationem S. Rudberti ad seculum octavum transfert , Boicarum rerum Scriptoribus reclamantibus , non videt , quam difficile ad credendum erit , minori spatio temporis quatuor Episcopos tenuisse Sedem Salisburgensem , (rejectis etiam Monachis insertis , & diurna vacatione , quam dolebat S. Bonifacius) quam unumque inque e duobus Successoribus Joannis . Quis enim credit S. Virgilium annos fere quadraginta , & Arnonem sex , & triginta eam Sedem tenuisse , quam S. Rupertus , Vitalis , Flobargius , & Joannes , eodem circiter spatio temporis in quatuor partes dividendo gubernarint , quin præsertim eorum nullus , præ-

xxii.
Salisburgensem
Epp. etates Pa-
gius pervertit .

70 D I S S E R T A T I O N I S

ter S. Rupertum, martyrium fecerit? Præterea Stephanus III.
petierat a Francorum Regibus per suum Legatum, ut mit-
terent aliquantos Episcopos gnares, & in omnibus Divinis Scrip-
turus, atque Sanctorum Canonum institutionibus eruditos, ac
peritissimos, cuiusmodi erat S. Virgilius referente Anonymo:
Sapiens, & bonus Doctor..... comperto eo bene docto; cur
ergo eundem cum aliis non miserunt ii Reges ad Conci-
lium Lateranense? Nam mortuo jam Pipino, atque enixe,
ut vidimus, deprecante Thassilone, ut rediret in Regis gra-
tiam, non est dubium, quin eunti Romam Episcopo, jussu
Regum Successorum, impedimento fuisset. Quamobrem,
ut dicam quod sentio, S. Virgilius ad Salisburgensem Ca-
thedram non ascendit, ante Concilii celebrationem. Et
quoniam antiquitatis videri nolim interpres nullo inhærens
fundamento, quidquid meam fulcit conjecturam, expediam.

x x i i .
Annus ordina-
tionis S. Virgi-
lii, & Sedis
tempus.

Hensch. to. 3.
Mart. p. 701.

Æram Christi communem perperam ab Anonymis ad-
hiberi apud Canisium communi omnes consensu affirmant:
qua de re Pagio morem geram Notas hujusmodi Chronolo-
gicas omnino abjiciens. Sunt tamen aliae Notæ Chronolo-
gicæ, quas ii decerpserunt ex Salisburgensis Ecclesiæ Tabu-
lariis, nec impune licet contemnere. Ecclesiam Cathedra-
lem a S. Virgilio ædificari coepit legitur apud Anonymum
alterius Anonymi abbreviatorem, seu interpolatorem, ut
vocat Henschenius, *Indictione VII.* Ejusdemque Ecclesiæ
Dedicatio primum facta, seu benedictio, deinde consecra-
tio memorantur. De prima Dedicatione idem Anonymus
loquitur: *Dedicata est primo Ecclesia S. Rudberti a S. Virgilio*
Episcopo anno Tassilonis Ducis XXVI..... Eodem anno transstu-
lit idem Episcopus S. Rudbertum &c. De consecratione vero
apud laudatum Autorem vitæ S. Virgilii legitur: *In tertio-*
decimo anno consecrator extitit. Tria hæc testimonia Chrono-
logica, semel mihi veniam adhibeat Pagius, non possum re-
jicere. Primum igitur est Indictio VII. quæ non 767. sed
769. anno usque ad Septembrem in cursu erat. Quumque
Autor vitæ eodem anno 767. ordinatum dicat S. Virgiliū,
cui breviator illigat Indictionem VII., error facile depre-
henditur biennii perperam relieti, restituiturque Ordinatio-
nis annus stabiendo principium fundatæ Ecclesiæ ante-
men-

C A P U T II.

71

mensem Septembrem , & post diem VII. Calendas Julias , quam congruere ordinationi ostendit litera Dom. A , non XVII. in quam eo anno incidit feria V. Primæ autem Dedicationi nihil addi oportet ; nam annus Thassilonis XXVI. adhuc in cursu erat anno æræ 773. quum regnare orsus es- set 748. ut dictum est . Consecratio demum facta anno Episcopatus S. Virgilii tertiodecimo spectat ad 781. post diem 25. Junii , qua ordinatus est , five ad 782. ante prædictam diem . Et si Poetæ Anonymo fides habenda est , eodem an- no 782. diem obiit S. Virgilius , quum sedisset annos qua- tuordecim , non quadraginta , ut Pagius interpretatur : quis enim nesciat , Poetis esse liberum quodlibet numerandi ge- nus adhibere , ut legibus poesis inserviant ? Verba poetæ sunt :

Quique regebat ovans præsentia culmina tecti ,

Ferme quater denos caris cum fratribus annos .

Nec recens cuditur mea opinio ; nam idem Anonymus Au- tor vitæ , qui ordinatum docet S. Virgilium anno 767. eum- dem in Domino obdormisse testatur anno 780. IV. Calen- das Decembris . Quare si ordinationi addendum ostendi biennium , spatium idem temporis morti adjungere opus est ; ut enim æra Christi communi sit abusus Scriptor , non idcirco minuendi , augendive sunt ejus Sedis anni proprio lubito a nobis posteris , at quatuordecim ab Anonymo ei tributi , retinendi integre ; rejiciendique ii quadraginta , qui utquum- que in principio , & fine augeantur , nunquam S. Virgilii ætatem certam definient .

Quæ , quum ita sint , si Joanni , quem ordinavit San-ctus Bonifacius , tribuamus , ut dixi , annos 20. aut 21. ita ut ad annum perveniat 760. hinc vero ad Abbatis admini- strationem redditum esse fateamur cum Catalogo laudato , qui Bertricum collocat inter Joannem , & S. Virgilium . , non deerit locus Hermemberto , qui a propria Sede exul , in communi Episcoporum calamitate , Juvaviæ degeret , ibique Episcopali munere fungeretur , quoad S. Virgilio advenien- te cum suo Episcopo Dobda , hic administrare Episcopatum cœpit . Facta enim interim evocatione Episcoporum a Ste- phano III. jubentibusque Regibus Pipini filiis , venire Ju- vavensem Episcopum Romam , Virgilius nondum consecra- tus ,

xxiv.
Conclusio , &
fundamentum
conjectura .

tus, lubens Hermemberto istud iter commiserit. Hucusque conjectura me deduxit, nec tamen quiesco, opto enim ab aliis discere, quod assequi non est datum. Ceterum ad Hermemberti dubiam Sedem confirmandam, hic subjicio vagantium tota Gallia Episcoporum, tempore calamitatis, argumenta certa ex Conciliis. Statuimus, ut secundum Canonicam cautelam omnes undecumque venientes ignotos Episcopos, vel Presbyteros ante probationem Synodalem in Ecclesiasticum ministerium non admitteremus. Item: Statuimus, ut supervenientes Episcopi, vel Presbyteri de aliis regionibus non suscipiantur in ministerium Ecclesiæ, nisi prius fuerint probati ab Episcopo, cuius Parochia est. Item: Ut ab Episcopis ambulantibus per patras ordinatio Presbyterorum non fiat. Item denique: De Episcopis vagantibus, qui Parochias non habent, nec scimus ordinacionem eorum qualiter fuit, placuit juxta instituta Sanctorum Patrum, ut in alterius Parochia ministrare, nec ullam ordinationem facere debeant sine iussione Episcopi, cuius Parochia est. Hos inter vagantes, errantesque Episcopos Hermembertum recensere scripturæ vitio jubeor, libenter auditurus Sedem illius certam ab eruditis.

C A P U T III.

*Sedes Episcoporum Tusciae atque Campaniae, &
Provinciae Italiæ, qui adfuerunt Concilio
Stephani III.*

R.
Ravenna, &
ejus Autocephal-
lia. **P**lura, Lector, titulus pollicetur, quam quæ paravi dicere, ne crambem timeas; quæ enim priori capite disputavi de Provinciis, non sunt materia hujus tertii. Quædam pauca de Sede Ravennatensi, aliquanto plura, sed necessaria, de Ostiensi, & nonnulla de aliis, præsertim antiquatis, breviter, & utiliter hoc in tertio capite amplecti deliberavi. Incipio a Ravennatensi, cuius Antistes primum post Romanum Pontificem locum tenet in Concilio Lateranensi. Costantinopoleos Patriarcharum tot, tamque diuturna molima, ut Patriarchis cæteris præferrentur, non-

nonnullorum quoque audaciam , & insaniam , ut eidem Christi Vicario anteirent , nemo ignorat . Sed hujusmodi machinamenta , & temeritatem , inde habuisse originem quis nescit , quod Byzantium facta erat Sedes Imperii ? Græcia scilicet levissima Successorum Divi Petri aut ignorans , aut simulans ignorare prærogativam , Ecclesiæ universalis Primum ambitione , & fastu metita est : & quæ , Summorum Pontificum admirabili tollerantia , evicit tandem , ut Alexandrino , & Antiocheno dignior adscititus Patriarcha haberetur , Oecumenicum paulo post Patriarcham eundem fieri ausum , detestata est . Perinde esse factum a Ravennæ Metropolita doleret Ecclesia , nisi Christi Vicarius repressisset audaciam ejus , Christusque ipse sapientissimo consilio decrevisset , ut quem supremum Ecclesiæ Principem detrectabat Ravennas , supremum quoque Regem & Dominum veneraretur . Hanc Ravennatensium Antistitutum ambitionem jure Cardinalis doctissimus effrenem appellans , inde natam observat , quod ea in urbe Honorius primum , & Valentianus Imperatores , deinde Theodoricus , aliique Gothorum Reges , ac postremo Græcorum Exarchi sedem habuerunt : præterea animadvertisens , haud difficile Ravennati fuisse supra Mediolanensem , & Aquilejensem se efferre , urbibus Aquileja ab Hunnis , & Mediolano a Langobardis excisis , detestatur Autocephaliam , qua juri Patriarchali Romani Antistitis sese subducere conatus est . Tantam temeritatem historiæ omnes deplorant , & uberrime enarrant Recentiores eruditæ , præsertim Abbas Bacchinius in Agnellum , qui schismate & ipse implicitus , contra Apostolicam Sedem sæpe virulentus , Ravennatensium Præfulum res gestas depravat . Estque exemplo Archiepiscopus Sergius , qui per suum Legatum Concilio huic Lateranensi interfuit , ac primum post Romanum Pontificem locum tenuit . Quapropter ex fusiori eorum historia ea tantum decerpam , quæ statum referant illius Sedis ; atque ita neque eruditis molestus ero , neque Concilium hac in parte non illustratum emittam .

Justinianus Junior imperabat iterum tertio anno , quum Felix Ravennas Archiepiscopus diuturni schismatis finem attulit , ordinatus Romæ , juxta veterem consuetudinem , a Ro-

Noris de Syn.
V. cap. 10.

II.
Autocephalia
Ravennæ extin-
guitur.

mano Pontifice Constantino , anno videlicet 708. Post eum vero Joannes anno 718. ejusque post admodum diuturnam sedem Successor Sergius , anno 752. ut videtur Bacchino , Romæ ordinati , antequam Exarchatus in Ditionem veniret Apostolicæ Sedis , satis superque ostendunt , Autocephaliæ finem , ac debitæ subjectionis Pontifici Romano initium debere constitui prædicto anno ordinationis Felicis . Quum vero hunc testari videatur Liber Pontificalis noluisse fidem suam scripto obligare , quemadmodum ab aliis fieri consuevit (ut patet ex Diurno Pontificum cap. 3. tit. 7.) Solitas in Scrinijs noluit facere cautiones , sed per potentiam Judicum exposuit , quod maluit : hinc est , quod schismatis retinentissimus Clerus multa confingere habuit liberum , quæ dubiam Ravennatis hujus Antistitis obedientiam reddunt , tametsi idem inter Sanctos fuerit collocatus , nullum enim detrimentum , ut ait Bacchinius , viris sanctis important dicteria vulgi . Eadem , quin etiam multo pejori usus est fortuna noster Sergius , quem , schismatico Agnello teste , post Romanam consecrationem : Spreverunt Sacerdotes , & separaverunt se ab eo ministri . At , præterquamquod novis creatis ministris turbas omnes composuit , sedente Sergio res evenerunt , quibus Ravennatenses ab Apostolica Sede amplius disjungi non potuerunt ; nam totus Exarchatus juris S. Sedis esse coepit . Felicissimum hunc rerum eventum juvat memoria repetere : inde enim Regalis Sacerdotii sub lege Naturæ , & scripta a Patribus , & Senioribus adumbrati primordia repetuntur . Aliquot ante annis , quam hæc fierent , urbs Ravenna semel a Rege Langobardorum Liutprando expugnata , ab eodem iterum oppugnabatur , dum Ravennæ Archiepiscopus erat Joannes Prædecessor Sergii : quare idem cum Exarcho Eutychio ad Romanum Pontificem S. Zachariam , ejus opem efflagitantes , confugerunt . Continuo Pontifex morem gessit : per se ipse Regem adiit , Ravennatesque ab insidiis liberavit . Quare ad priscam consuetudinem accidente officio , non erat dubium , quin obedientiam a Felice , & ab Joanne jure præstitam Romano Pontifici , Archiepiscopi Successores exhiberent , ut re Sergius exhibuit . Nihilo tamen minus decreverat Deus Optimus Maximus ,

ut

Anast. in vita
Constantini to. 4.

Agnell. libr.
Pont. Bacchini
excursu ad Jo-
annem &c.

ut indissolubili ea Sedes vinculo adhæreret Cathedræ Divi Petri . Nam paulo post quam Italæ pars magna ab impiis Græcorum Imperatoribus deficiens Romano Pontifici , tamquam supremo Principi , obtemperare maluit , Rex Francorum Pipinus , anno 755. Sergii Antistitis 4. devictis Langobardis , totum Exarchatum , unde antea expulsi erant Exarchi , Apostolicæ Sedi perpetuo possidendum donavit , jamque nongentesimo octogesimo anno possidet , possidebitque ad mundi exitum : id quippe divinitus statutum est , ut Regale Sacerdotium aliorum vices Regnorum non sentiat : *Suscitabit Deus Regnum , Divini Decreti sunt verba , quod in æternum non dissipabitur , & Regnum ejus alteri populo non tradetur : comminuet autem , & consumet universa Regna hæc , & ipsum stabit in æternum .* Hujus vero Regni non repetenda esse initia a donatione Pipini , qui amplificator Ditionis Ecclesiæ fuit , non institutor , alibi contra Pagium demonstravi .

Autocephalia igitur , ipsum Exarchatum subjiciendo Sanctæ Sedi , radicitus evulsa , omne simul adminiculum ablatum esse Archiepiscopis videbatur , quo adversus Romanos Pontifices inniterentur . At secus est ; nam primi duo Archiepiscopi post Pipini donationem , Sergius nimirum , qui jam sedebat , & Sergii Successor Leo , novum excogitarunt genus deficiendi a Romano Pontifice : sibi scilicet arrogarunt ditionem ipsam Exarchatus . De Sergio quidem id testatur Agnellus : *Judicavit , inquiens , a finibus Perticæ totam Pentapolim , & usque ad Tusciā , & usque ad mensam Vualami , veluti Exarchus , sic omnia disponebat , ut soliti sunt modo Romani facere .* De Leone vero ex trinis Adriani literis liquet : *In magnam , ait , superbiam , & tyrannicam elationem pervenit , ut nullo modo sicut antea nostris Apostolicis obtemperare inclinatus est mandatis , & nullum ex Ravennatibus , vel Æmilia pro accipiendis præceptis de diversis actionibus ad nos venire permisit , ita eis indignatus comminatus est , dicens , quod si quis ad nos venire præsumpsisset , non potuisset venire De Civitatibus Imolesi , seu Bononiensi ita profanizat dicens , quod V. E. ipsas Civitates minime B. Petro , & nobis concessit , sed sibi ipse Archiepiscopus a vobis fuisse concessas , ac traditas afferit sub sua potestate permanendas . Unde nullum hominem ex iisdem Civitatibus*

Daniel. 2. 44.

Anaft. tom. 4.
Prol. pag. 200.III.
Novum defec-
tioonis genus Ra-
vennates Archie-
pisc. excogitant.Agnell. in Serg.
c. p. 4.Cod. Carol. ep.
51. 52. 54.

ad nos venire permisit, sed ipse ibidem actores, quos voluit, sine nostra autoritate ordinavit, & in sua eas detinet potestate. Autoritatem, ut verum fatear, qua multo minor fit nostra ætate Eminentissimis Legatis. Usurpationes hujusmodi, quis credat. Scriptores nonnulli, atque ii quidem eruditissimi,

*Excurf Chron.
ad Jo: V. al. VI.*

putant jura Archiepiscoporum. Præ iis Bacchini censet, quod a principio, indulgente Romano Pontifice, & Pipino consensum præbente, administratio Exarchatus Sergio sit credita. Nec mei est instituti, nec vacat Rubeo, Ughello, & Bacchino singillatim respondere, atque eorum opiniones, seu mavis conjecturas, diruere. Ob oculos tamen ponam, quæ erat administratio a Stephano II. primum, deinde a Sancto Paulo I. ac deinceps ab Adriano, proindeque a Stephano III. instituta in Exarchatu ab ipsis donationis primordiis.

*Cod. Carol. ep.
54.*

Ipse noster Praedecessor, ait Adrianus de Stephano II., cunctas actiones ejusdem Exarchatus, ad peragendum distribuebat, & omnes actores ab hac Romana urbe precepta earumdem actionum accipiebant. Nam & Judices ad facientes justicias omnibus vim patientibus in eadem Ravennatum urbe residentes ab hac Romana urbe direxit, Philippum videlicet illo in tempore Presbyterum (nam Adriani tempore erat factus Episcopus) simulque & Eustachium quemdam Ducem. Nota, quod ipsam in urbem Ravennam misit Magistratus, ne audias Bacchino, qui hac occasione nimis favet schismatico, sublestæque fidei monacho, quem illustrat. Stephani Successor, & germanus Paulus in epistola ad Pipinum data, ut videatur, anno 766. hæc simillimæ administrationis ab se constitutæ non obscura præbet indicia:

*Cod. Carol. ep.
57.*

Missi vestri in nostra præsentia cum Langobardorum missis, necnon & Pentapolensem, & singularum nostrarum Civitatum hominibus adstantes &c.

Ibid. ep. 54.

Unde constituit, ut nostri, ac singularum Civitatum missi ad Desiderium &c. Adrianus denique, cuius jurisdictionem sibi arrogaverat Archiepiscopus Leo, ita alloquitur Regem Carolum: Quemadmodum tempore Domini Stephani Papæ, qui illuc in Franciam profectus est, cui & ipse Exarchatus traditus est, ita & nostris temporibus, quum sub nostra potestate, disponere, & ordinare volumus; & omnes in hoc cognoscere possunt qualiter potestatem ejus beatitudo in eamdem Ravennatum urbem,

bem , & cunctum Exarchatum habuit , qui etiam Archiepiscopum Sergium exinde abstulit , dum contra ejus voluntatem agere spiritu superbiæ nitebatur . Et infra : Eundemque Archiepiscopum sub nostra potestate contradere digneris , ut a nobis cunctus Exarchatus disponatur , sicut saepatus Dominus Stephanus beatissimus Papa temporibus sa: me: genitoris vestri Domni Pipini disponere visus est .

Commentariis allata non indigent : Sergium nova mōliri ausum ipsa ex urbe Ravennæ suprema autoritate Stephanus II. ejecit ; quare non minus Sergio , quam Leoni , quidquid recentioribus visum sit , usuratio est tribuenda . Atque utinam factæ alicujus potestatis Sergio vestigium aliquod detergetur , ne origo ejus prærogativæ super Aquilejensi , & Mediolanensi , immo & omnibus Occidentis Metropolis in incerto adhuc vagaretur . Card. Noris nono seculo antiquiorem non facit , fretus autoritate testamenti Caroli Magni ; nostrum vero Concilium eam retrahit ad octavum . In eo siquidem non ordinationis antiquitas ita servata est , ut Gallis Itali admiserentur , sed illis isti posthabiti , & , quemadmodum undecim Galli undequadragesima Italorum prælati sunt , Archiepiscopus Archiepiscopo præsedisset , nisi prærogativa impedimento esset . Quare affirmare ausim , Ravennatensem Cathedram , ubi primum a schismate emersit , Felixque est ordinatus Romæ a Constantino Papa , quod jampridem optaverat , ab Apostolica Sede impetrasse , ut nempe prima Metropolis post Romanam haberetur , quemadmodum antiquæ omnes Notitiæ apud Schelestratem fidem faciunt : idque nisi ipsa in consecratione , quando solitas in Scrinio noluit facere cautiones , sed per potentiam Judicium exposuit , ut maluit ; saltem quando Ravenna ab exilio reductus , pœnitentia motus , licet oculorum lumine privatus , tamen ad propriam rediit Sedem : & solita , que ab universis in Scrinio Episcoporum sunt , indicula , & fidei expositionem , & hic confessus est , siveque reconciliationis promeruit absolutionem . Neque ab ludit mea opinio ab eruditissimi Bacchini sententia , qui Sancto huic Archiepiscopo ab insanissimis Recentiorum figmentis acerrime vindicato : Censo , inquit , Felicem Archiepiscopum Ravennatem in eo peccasse , quod præsta-

I V.
Cur Raven-
nas Metropolis
præferatur .

Anast. in Con-
stant. sect. 170.
& 174.

Observat. ad
vitam S. Felicis.

re noluerit solitas cautiones Sedi Apostolice, cujusmodi sunt illæ, quæ habentur in libro Diurno, quibus fortasse Felix aliquid addere, vel demere volebat in favorem Ecclesia sue. Quod vero additamentum mitius, quod probabilius fuerit, quam petitio, ut Cathedra Ravennatenſis, quæ Romanum ipsum Pontificem detrectaverat, prima post Apostolicam Sedem inter Patriarchatus Metropoles, haberetur? Quid contra credibilis, quam S. Sedem concessisse Ravennati inter Metropolitas Primatum, in gratiam Imperatoris, & Exarchi, quæ in gratiam Cæsarum Patriarcham adscititum Constantinopoleos reliquis Patriarchis prætulerat?

V.
Quia nempe
omnium Occi-
dentalium Me-
tropolitar. pri-
mus.

Ughell. Ital.
Sac. to. 2. & No-
ris de Syn. V.
c. 10. Bacchini ex
Rub. in observ.
ad Maur.

Cap. 1. tit. 9.

Noris ibid.

Aquilejensem sane Metropolitam eo potestatis venisse, Alexandro II. Pontifice, ut Romani etiam Imperii Principibus adnumeratus, inter Occidentis Metropolitas primus haberetur, ut hodie habetur, neminem fugit; at multo ante hujus exaltationem Clemens II. in Synodo Romana anno 1047. hæc de antiqua Ravennatis prærogativa pronunciaverat: *Sede in etiam Ravennatis Archiepiscopi jubemus semper esse a dextris nostris, nostrorumque Successorum, secundum antiquæ constitutionis autoritatem, nisi forte Imperator adfuerit, & tunc etiam ipsum sinistrum locum tenere per hanc nostræ autoritatis firmantis firmitatem.* Quod si antiqua erat Ravennatis ea prærogativa (cujus plures conjicit causas Garnerius in Notis ad Diurnum Pontificum) certissimeque in Concilio nostro deprehenditur, quis non videt, multo ante nonum seculum, ut putat Norisius, illius originem repeti oportere? Quumque non æquum sit Autocephaliæ tempore illam investigare, quia præsertim anno 680. Theodorus Ravennas subscribit post Aquilejensem, & Mediolanensem Metropolitas, ut animadvertisit Card. Noris, erit igitur cum S. Felicis Archiepiscopatu forte illiganda; non enim videtur ad Sergii tempora differri posse ob enarratas rationes. Quandocumque autem ante Concilium Stephani Archiepiscopus Ravennas esse cœperit omnium primus in Occidente post Romanum Pontificem, cuius dextra in Conciliis sedebat, nisi aderat Imperator, tunc enim sinistram tenebat, semper omnium Antistitutum primus: nostris oculis cernimus, ita hoc in Concilio Lateranensi esse factum. Quamobrem valde gau-

gaudeo , quod per me primum prodeat monumentum , unde inclyta ista Sedes quadraginta amplius annis antiquius suæ prærogativæ argumentum certum deducat , quam quod Scriptori eminentissimo acceptum refert . Præterquamquod non parvi momenti res est , Decretum Clementis II. pro afferenda Ravennatum Antistitutum prærogativa trecentos ferre post annos datum , tam solido , tamque evidenti antiquitatis testimonio roborari ; inde siquidem erudití recentiores , qui temporum injuria freti antiquam Ecclesiæ Historiam proprio arbitratu expendunt , facili negocio discent , proferre aliquando ætatem documenta , quæ Ecclesiæ decreta levissime ablegata ab iis esse planum faciant , doctissimumque Annalium parentem non labili ut plurimum fundamento inhæsisse , illos doceant . Itaque , ad meum institutum rediens , Ravennatensem Archiepiscopum affirmo idcirco præferri Metropolitæ Galliarum , quia id Sedi Ravennæ privilegium erat , ut soli Imperatori , si adesset Concilio , dextrum Summi Pontificis latus relinqueret , nullique totius Patriarchatus Occidentis Metropolitæ loco cederet . Jam vero satis , ut mihi videor , loquutus de principe omnium Occidentalium Sede post Romanam , Concilii ævo , venio ad Ostiensem , cuius Episcopus Georgius statim sequitur post Metropolitas , Francisque omnibus Episcopis præfertur .

Magna semper fuit Ostiensis Episcopi præstantia , quippe qui omnium Episcoporum primus ab ipsis primordiis tranquillitatis Ecclesiæ honorem sacri Pallii obtinuit a D. Marco , tanquam Romani Pontificis consecrator ; Portuensi , & Albanensi , & ipsis Consecratoribus , semper præivit ; priusque semper locum habuit inter septem Lateranenses Episcopos , qui Pontifici celebranti ministrabant , ut Presbyteri Episcopo , quod Joannes Diaconus aperte docet : *Episcopus Hostiensis , qui debet consecrare , & benedicere Apostolicum præ omnibus aliis ; Episcopus S. Rufina secundus ; Episcopus Portuensis tertius ; Episcopus Albanensis quartus ; Episcopus Tusculanensis quintus ; Episcopus Sabinensis sextus ; Episcopus Præstinen sis septimus .* Ubi observatu dignum videtur , quod , tametsi alii Episcopi Lateranenses mutato ordine occurrunt ,

VI.
Prærogativa
Episcopi Cardi-
nalis Ostien.

Mabill. append.
ad Ord. Rom.
pag. 566.

tum

tum in Notitia veteri apud Baronium , tum in duobus Codicibus Provincialibus veteri , & novo apud Aubertum Mirræum , Ostiensis tamen Principem semper locum obtinuit ad nostram usque ætatem , ea siquidem dignitas Eminentissimo Decano Sacri Collegii Cardinalium , nisi forte extra urbem degeret , semper adhæret , ita ut nihil unquam pristina ejus prærogativa detrimenti acceperit . Hinc est , quod Sanctissimus Dominus noster Clemens XII. quum primo sui Pontificatus anno M DCC XXXI. IV. Idus Januarias constituit , ut Episcopi Cardinales , qui *unam ex Ecclesiis Suburbicariis* obtinuerint , *deinceps ad aliam* , priore dimissa , ac Romano Pontifice approbante , *semel tantum transire possint* : continuo subjunxit : *Salva tamen illis semper* , atque illæsa facultate optandi , *prævia dimissione prioris* , Ecclesiam Ostiensem , quæ peculiaribus gaudet prærogativis , ac præsertim illa , quod *Cardinalis* , qui ei præest , Pontificem Maximum solenni ritu , pallio etiam adhibito , consecrare soleat . Quia porro ex Constitutione eveniet , ut principem semper locum tenente Ostiensi , Episcopi Cardinales ceteri , juxta priscam consuetudinem alium , aliumque ordinem pro antiquitate consecrationis obtineant . Sic in veteri Notitia apud Baronium aliis erat ordo , ac nuper laudatus ex Joanne Diacono , ut videre est : *Episcopus Hostiensis* , *Episcopus Portuensis* , *Episcopus S. Rufinae sive Silvæ Candidæ* , *Episcopus Albanensis* , *Episcopus Sabinensis* , *Episcopus Tusculanus* , *Episcopus Prænestinus* . Aliumque item ordinem spectamus in Codice Provinciali tum veteri , tum novo , qui scilicet tantam antiquitatem non referunt , utpote scripti postquam Calixtus II. Portuensi univit Cathedram Silvæ Candidæ , & Eugenius III. Velerianam Ostiensi . In utroque enim legitur : I. *Ostiensis & Velerianus* , II. *Portuensis & S. Rufinae* , III. *Sabinensis* , IV. *Prænestinus* , V. *Tusculanus* , VI. *Albanensis* . Constanter autem singuli Ostiensis prærogativam præferunt , quæ jam mille , & quadringentis amplius annis obtinet .

Clem. XII.
Constit. 10. Ja-
nuar. 1731.

Baron. 1057.

Aub. Mir. No-
tit. Episc.

VII.
Cardinalium
Episc. nulla erat
prærogativa in-
ter Episc. Conc.
temp.

Ea tamen prærogativa non obstante , in Conciliis , & hujus Lateranensis tempore , & diu post , eum semper ordinem tenuerunt Episcopi Cardinales , non quem Sedis merita , sed quem Ordinationis antiquitas exigebat : idque in-

inter omnes Episcopos magna cum religione observarunt, quod trium Conciliorum exemplo fiet planius, nostri nimirum inediti, & duorum, quæ jampridem Em. Annalium parens compendiario evulgaverat, deinde integra ex præstantissima Bibliotheca Barberina studio Lucæ Holstenii prodierunt in lucem, ab Eugenio II. & Leone IV. celebrata. Quatuor omnino adsunt Concilio Stephani III. Georgius Ostiensis, qui sedet tertio loco, Gregorius Silvæ Candidæ, qui 38., Eustratius Albanensis, qui 39., & Cidonatus Portuen-sis, qui 41. Idem quatuor in Concilio Eugenii II. Consecrationis ævo ita jubente, hunc sedendo ordinem tenuerunt: Joannes Silvæ Candidæ 6. Stephanus Portuensis 7. Benedic-tus Albanensis 8. Cæsarius Ostiensis 9. eosque sequitur, post duos Episcopos, Constantinus Prænestinus. In Concilio demum Leonis IV. Megistus Ostiensis primus omnium Episco-porum Cardinalium sedet, ætatis ratione habita, post Episco-pos quindecim. Rodoaldus Portuensis 20. Leo Silvæ Candi-dæ 22. Petronacius Albanensis 37. ac demum 54. Sergius Sa-binensis. Prænestinum, qui Concilio Eugenii II. & Sabinensem, qui Leonis IV. interfuerunt, ad rem magis magisque probandam nominavi, quum cæteroqui nostro Concilio neu-trius Sedis Episcopus intersit. Georgius enim Prænestinus, qui Pseudo-Pontificis Consecrator fuit, non post multos dies, referente libro Pontificali, consecrationis ipsius Constantini, valida, ac pessima ægritudine præoccupatus immobilis factus est, & postmodum Missarum solennia nequaquam celebravit. Ejus enim dextra manus aruit, atque contracta est. Qui etiam nec ad os suum afferre valuit, sicque tremens, & languens vitam finivit, ultione divina docente, ait Ughellus, nullam vio-lentiam posse habere justæ excusationis prætextum, ubi de Dei gloria, Ecclesiæque salute ageretur: de Sabinensi vero nihil compertum habeo, neque ad Concilium illustrandum ejus indigeo, ut consecratoris Georgii mox laudati, de quo infra redibit sermo. Hunc vero ordinem juxta Consecratio-nis antiquitatem perpetuo servatum esse tum ante Concilium Lateranense, tum post Romanum Leonis IV. demon-strarem, si vacaret, & necessarium esset. Cur autem po-tissimum cœperim a Concilio isto Lateranensi, duobus po-

Anast. in Steph.
IV. sect. 267.

Ital. Sac. to. I.
de Prænest. Epis.

sterioribus roborando argumentum , neque ullum anterius
in medium adduxerim , mox expediam .

VIII.
Episcoporum
Card. antiqui-
tas vindicata.

Anal. in Steph.
IV. sect. 284.
Bar. 769.

S. Petri Da-
miani. l. 2. ep. 1.

Commentar. in
Ord. Rom. c. 20.

Idem. cap. 4.

Eminentissimus Cardinalis Baronius observat , de se-
ptem Lateranensis Episcopis Cardinalibus , quos Vica-
rios , & Collaterales Domini Papæ Joannes Diaconus appelle-
bat , & hebdomadarios tum liber Pontificalis , tum idem
Diaconus , tum omnia monumenta veterum , primam men-
tionem reperiri , quum Stephanus III. aut in eodem hoc
Concilio , aut seorsim , decrevit : *Ut omni Dominico die a*
septem Episcopis Cardinalibus Hebdomadariis , qui in Ecclesia
Salvatoris observant Missarum solennia , super altare B. Petri
celebraretur . Quare omnium fere eruditorum opinio est ,
septem Cardinalium Episcoporum certam epochem hic stabi-
liendam esse . Ego vero , qui nec doctissimi Cardinalis , ne-
que adhærentium illi eruditorum sententiam amplector , si-
ve , ut melius dicam , Baronii observata , quæ perperam in-
terpretantur eruditæ , paravi expendere , non debui ante
de Episcopis Cardinalibus loqui , quam ulla de iisdem men-
tio apud antiquos occurrat , eaque de re nullo prorsus
exemplo ante Lateranense Concilium usus sum , quamquam
multa , atque evidenter suppetant . Maximum certe incre-
mentum honoris accessit Episcopis Cardinalibus hac Stephani
III. concessione , quam rem S. Petrus Damiani ex eorum
Collegio septemvirali Episcopus , suis Collegis exaggerat .
Quibus solis , inquiens , post Apostolicum sacrosanctum illud al-
tare licet accedere , ac divini cultus mysteria celebrare : namque
cæteris Cardinalibus id minime erat licitum absque peculia-
ri Bulla Pontificis , ut animadvertis Mabillonius cum Ame-
lio . Verum non quia Cardinales ea tantum occasione ap-
pellatos inveniamus , tunc dignitatem hujusmodi assequutos
putandum est , quod & alibi de Hebdomadarii munere idem
Mabillonius affirmat ; *Jam ergo , ajens , tunc usus invaluerat ,*
ut septem illi Episcopi Cardinales , sua quisque hebdomada in
Lateranensi Ecclesia sacris operarentur . Quidquid enim hono-
ris accessit iisdem per Stephanum III. patet ex libro Pon-
tificali , ut nempe Missam celebrarent super altare Divi Pe-
tri , & hymnum *Gloria in excelsis* dicerent . Ea propter Scrip-
tori eruditissimo Disciplinæ veteris , & novæ non audien-
dum

dum mihi videtur, docenti, quod septem Cardinalium Episcoporum institutio tribui possit Stephano III.; ex eoque tempore Episcopi Presbyteri, & Diaconi Cardinales in unum Collegium sint colligati, qui exinde Proceres Cleri in libro Pontificali appellari coeperint. Video enim in nostro Concilio Proceres Ecclesiae, & cunctum Clerum non modo Presbyteris Cardinalibus, sed etiam Archidiacono, & Monachis Latinis, & Græcis posthaberi; pariterque video Procerum honore conspicuos in libro Pontificali Christophorum Primicerium Notariorum, & Sergium Secundicerium, qui nostro in Concilio saepe memorantur (Christophorum præsertim, quia magnæ autoritatis eum fuisse in urbe Roma Blondus animadvertisit) nec tamen fuisse Cardinales Primicerium, ac Secundicerium Notariorum Ordo Romanus testatur. Contra vero in Baronii sententiam eundum pedibus reor, qui Primates Cleri in libro Pontificali occurrentes interpretatur Cardinales, ita ut quum Christophorus Primicerius eodem in libro Pontificali congregasse dicitur in tribus fatis Sacerdotes, & Primates Cleri pro Stephani III. electione, tum Episcopos, tum Presbyteros, & Diaconos Cardinales congregasse credendus sit.

Rectius, ut ego arbitror, de Episcoporum Cardinalium antiquitate hujusmodi rerum scientissimus Præsul Veronensis locutus est. Is enim loquens de Basilica S. Laurentii a Sancto Damaso constructa, & Titulorum urbis numero adjuncta, ut **XXVIII.** omnino fierent, conjicere sibi videtur posse, tametsi pro certo non affirmat, quod ab ipsis S. Damasi temporibus facta fuerit Septenaria ea partitio Presbyterorum Cardinalium, sive Titulorum pro quatuor Patriarchalium numero, præter Lateranensem: dum legit in libro Pontificali, S. Damasum constituisse, *ut Psalmos diu nocturne canerent per omnes Ecclesiæ: qui hoc præcepit Presbyteris, & Episcopis, vel Monasteriis*, ac proinde sicut quatuor aliis Patriarchalibus adscriptos fuisse septem Presbyteros est certo certius, ita Lateranensi septem Episcopos, qui Summi Pontificis lateri adhærerent, fuisse datos pro comperto habet, quibus S. Damasus Psalmodiam præceperit. Quin etiam, quod de Presbyteris non facit, Episcopos ab ævo

*De Benef. p. 1.
l. 2. c. 116. n. 2.
& seqq.*

Anast. in Adriano.

Anast. in Seve-
rinæ.

IX.
*Idem urgetur
autoritate Elan-*
chini Præfulis.

*Anast. tom. 3.
p. 37. & seqq.*

Sancti Silvestri esse adscriptos Lateranensi Ecclesiae , conjectura assequitur . Evidem tanti viri conjecturam pro lege habeo . At quoniam fortasse non omnibus libeat tantam Episcopis Cardinalibus antiquitatem tribuere ; illam profecto Septenaria Presbyterorum Cardinalium divisione recentiorrem nemo ausit demonstrare , neque hanc dimidio quinto seculo juniores quis ficeret , quum S. Simplicius Papa constituit ad S. Petrum Apostolum , & ad S. Paulum Apostolum , & ad S. Laurentium Martyrem hebdomas . Quare cum mox laudato doctissimo Praesule affirmare non dubito : *Hebdomadariam assignationem Episcoporum septem in Lateranensi , & Presbyterorum totidem in quatuor reliquis Patriarchalibus Basilicis Romanis primum , ut videtur rudimentum accepisse sub Damaso , & complementum obtinuisse a Simplicio . Liberianam porro Patriarchalem silet Simplicius ; quare aut jam inde fuerint adhibiti viciniorum Regionum Tituli , ut putat idem Praesul , aut aliquanto post , septem eidem Tituli sint adscripti , certe Notitiae omnes veteres apud Joannem Diaconum , Panvinium , Baronium , septem & ipsi Presbyteros Titulares adscribunt . Quae quum ita sint , recte contra secus docentes infert Mabillonius , quod si Stephanus III. hebdomadarioris Episcopis laudatum privilegium concessit , usus igitur in valuerat hebdomadariorum munera ; quod confirmat , jampridem adscriptos eos esse Lateranensi Basilicæ , ac proinde , multo ante Stephanum III. Cardinales Episcopos eos fuisse ; idem enim esse Cardinalem , & Ecclesiae adscriptum , per prima Ecclesiarum secula quis ignorat ? Sancti Gregorii epistolæ in Sardinia , aliisque Italicae partibus Cardinales datos Ecclesiis testantur : extra Italiam quoque Cardinales Ecclesiarum reperire est . Id vero maximum semper discrimen fuit inter Cardinales exteriores , & Titularum urbis , quod hi magnæ semper autoritatis fuerunt : quippe qui , ut testatur Joannes Diaconus in supra laudato loco ; *Potestatem obtinent judicium faciendi super omnes Episcopos totius Romani Imperii in omnibus Conciliis , vel Synodis quibuscumque Legati , vel praesentes affuerunt . Regesque ipsi , ut hodie purpureum Galerum , Titulos petiisse inveniuntur ; eorum vero , & nomen brevi interiit , ita ut quemadmodum Papæ , & Pontificis nomen com-**

Anast. in Sim-
plic. sect. 72.

Idem tom. 3.
pag. 176.

Mabillon. app.
ad Ord. Rom.
pag. 567.

commune olim Episcopis , uni postea Romano Pontifici relictum fuit , ita venerabile Cardinalium nomen unius Sacri Collegii privatum factum fuerit ; autoritasque majora semper habuerit incrementa .

Hæc vero indicasse contentus adversus eos , qui Episcoporum Cardinalium epochem a Stephano III. deducunt , Baronii sententiam pro Iubito interpretantes , ad Episcopum Cardinalem Ostiensem redeo , ut planum faciam , cur Episcopis omnibus præferatur in Concilio nostro Lateranensi . Quanta quanta fuerit Cardinalium Episcoporum autoritas , ante annum millesimum disciplinæ veteris Scriptor pluribus in locis observat , nulla eos unquam prærogativa Episcopis cæteris præstítisse in Conciliis , quod ipse nuper demonstrabam exemplo : Quamobrem Cardinalitia dignitas nihil Ostiensi profuit , ut Episcopis omnibus anteiret . Quin etiam singularis ea inter Italos Protothroni dignitas nullum in Lateranensi hoc Concilio habuit locum , erat enim Patriarchale ; Lopus autem semel , iterumque docet , quod tam Orientis , quam Occidentis Protothroni *in sola Provinciæ suæ Synodo habebant Sessionis prærogativam ; in totius Diœceſeos , aut Ecclesiæ conventu ſedebant juxta statem consecrationis* , eorumque numero , ne dubitationi locus fit , Ostiensem accenset . Inde est , quod anno 826. in Concilio Eugenii II. sedis octavus post Ravennatensem , & 853. in Concilio Leonis IV. quintusdecimus . Quapropter omnibus ex prærogativis Ostiensis Episcopi nulla in Concilio isto habebat locum , præter communem Episcoporum omnium præstantiam , quæ erat consecrationis antiquitas : Hanc vero esse grandem negari non potest ; nam Georgius , quandocumque successorit Theodoro , qui subscribit duobus Conciliis S. Zachariæ , annis 743. & 745. , septendecim ante annos , videlicet 752. Stephanum II. comitatus erat in Gallias . Quum cæteroqui aliorum Episcoporum ætates multo minores fuiffe , vel inde apparet , quod tres tantum ex iis , qui S. Pauli constitutioni anno 761. subscriperant , intersunt Concilio huic Lateranensi , Petrus Cærensis , Ado seu Adam Hortensis , & Gregorius Silvæ Candidæ . Constat præterea brevi tredecim mensium Constantini Pseudo-Pontificatu octo Episcopales Sedes va-

^{x.}
Episcopi Cardi-
nales ſervabant
in Conciliis ra-
tionem antiqui-
tatis .

Diss. de Syn.
Nic. cap. 9. &
Schol. ad Can.
12. Conc. Chalc.

casse , quarum Episcopos ab Intruso consecratos deponi oportuit eodem in Lateranensi Concilio . Ad Francorum vero Episcopos , quod spectat , quamquam Vulfranni cæteris antiquioris ætas certa non habeatur , eos tamen fuisse juniorum Georgio testatur Lullus Moguntinus , quem ante annum 753. , quum S. Bonifacius recessit ab ea Sede , consecratum esse nemo dixerit , velint licet non pauci ordinatum non esse Episcopum nisi 755. Hic vero post Vulfrannum ante alios omnes sedet . Quum tamen incredibile prorsus sit , ex novem , & triginta Italiæ Episcopis nullum ætate consecrationis majorem esse juniori Francorum Episcopo ; ostenderimque alibi hoc datum Francis in Concilio isto ab Italib[us] , quod iidem Itali a Francis obtinuerant in Arelatensi primo , ut nempe simul juncti præsiderent ; evidens inde est , quod præter ætatem , alia Georgius prærogativa Episcopis omnibus antecelluit .

XI.
Georgius O-
stiensis erat Le-
gatus S. Sedis in
Franc.

Sirmond. Con-
cil. Gall.

Steph. II. epp.
4. & 6.

Paulus ep. 2.

Magna is quidem autoritate erat apud Francos Episcopos ; nam Apostolica Legatione functus erat tum apud Regem Pipinum , tum in Concilio Compendiensi an. 757. post mortem S. Bonifacii celebrato . Apud Regem Legati munere esse functum pro utroque Stephani III. Prædecessore Stephani II. & Paulo I. germanis Fratribus , horum literæ fidem faciunt : *Direximus* , ait Stephanus in Embolo epistola IV. ad Pipinum , ad vestram Christianissimam excellentiam præsentem nostrum missum Georgium Reverentissimum , ac Sanctissimum Fratrem , Coepiscopum nostrum . Et epistola VI. ad eundem : *Præsentes vero fidelissimos nostros* , id est Georgium Reverentissimum , ac Sanctissimum Fratrem , & Coepiscopum nostrum , atque Joannem Regionarium . Et post mortem Stephanii Legatum eundem mittens Paulus Pipino : *Præsentes* , ait , *nostros missos* , id est Reverentissimum Sanctissimum Fratrem , & Coepiscopum nostrum Georgium , atque dilectum Filium nostrum Stephanum Presbyterum . Legati autem munere functum esse in Concilio Compendiensi , potestatemque habuisse , ut nuper ajebam de Cardinalibus Presbyteris cum Joanne Diacono , judicium faciendi super omnes Episcopos in Synodis quibuscumque , testantur ejusdem Canones XI. XII. XIII. XVII. & XVIII. illius autoritate firmati . Nec tantum obid , & ob

ob frequentem apud Regem Legationem celebris, ac proinde venerabilis erat Georgius apud Francorum Antistites; at quia diurna ibidem Legatione cum iisdem est moratus; &, ni fallor, multi ex Episcopis, quorum Sedes a Laicis occupabantur, dignitasque ipsa conculcabatur, serio cum eodem egerant de iisdem instaurandis, disciplinamque extintam, ac paulatim renascentem, ut antea S. Bonifacio, eodem postea doctore didicerant, quod laudati Canones Concilii Compendiensis a Georgio confirmati, clam esse non sinunt. Quid enimvero Sanctus Senior tamdiu in eo Regno ociosus moraretur? Anno siquidem 767. quum S. Paulus obiit supremum diem, adhuc degebat in Francia, indeque est, quod Constantini invasoris omnia scelestē perpetrantis districta acie, infelix ordinator fuit Georgius Prænestinus. Si enim adfuisset, aut vim metuens, ut reliqui duo Consecratores, infandi sceleris compos fuisset, aut renuens, insidias & poenam, ut Primicerius, non declinasset. Inexploratum mihi est, num ante Pipini mortem Romam venerit, ut tollendo schismati cum aliis Episcopis, Presbyterisque Cardinalibus, Cleroque omni, & Optimatibus incumberet: id certum scio, quod intrusus Constantinus Pipini gratiam adepturus eidem scribens petit, ut Legatos Pauli Papæ dimitat Romam: *Excellentiam vestram petimus, ut jubeatis, christianissime, ac mitissime Rex, inspiratus a Deo ad nos absolvere revertendum Sanctissimum Fratrem nostrum Georgium Episcopum, atque dilectos filios nostros Marinum, & Petrum Presbyteros, qui ad vestram Praecellentiam a nostro Prædecessore Paulo Papa directi sunt.*

Hanc profecto esse rationem potissimum intelligo, cur Georgius Francorum Episcopis anteiret. Hi enim Ital's præsedere officio, non jure: Georgium vero, quem tanta conspicuum dignitate in Francia viderant, quique insuper consecrationis ætate omnium hauddubie antiquissimus erat, ac proinde omnibus jure suo præferri debebat, officio ut reor certantes, sibi postponi noluerunt. Quamobrem Ostiensem Episcopum nulla e sue Sedis prærogativa, nec nova Stephani III. Legatione conspicuum primo post Archiepiscopos loco sedisse conjicio, sed ultiro Episcopis Francis concedentibus

Cod. Carol. ep.
99.

XII.
Ob id Episcopis
omnibus est pre-
latus.

bus Doctori , ac Patri suo , sedem Episcoporum principem tenuisse . Quumque jam absolverim , quæ sum pollicitus , de Ravennatenſi , & Ostiensi Sedibus , restat nunc , ut de antiquatis dicam aliquid , quod tertium promisi , ne quum Franciæ singulas perlustraverim , Italiae nostræ illas præteream , quæ , quia aut nostra , aut seniorum memoria , minime extabant , ut Caſtreñis ad Sedem Aquæpendentis translata evoluto ſeculo , Concilium Lateranense aliqua ex parte inter vetutatis tenebras relictum eſſe perſuaderent . Urbes igitur Episcopales antiquatæ , quarum Præſules Concilio La- teranensi interfuerunt , ſunt omnino tredecim , quas ego juxta Concilii ordinem enumerabo : *Tuscania* , *Populonium* , *Luna* , *Cære* , *Polimartium* , *Centumwellæ* , *tres Tabernæ* , *Priuenum* , *Trebia* , *Manturanum* , *Silva Candida* , *Galleſium Caſtrum* , & *Velitræ* . Harum aliquot hodie etiam celebres , magnique eſſe nominis compertum eſt , at quia dignitatem Epi- scopalem aut inde translatam , aut unitam alii , amiserunt , instituti mei erit , quare , & quando ea dignitate excide- rint , indicare ; attamen memoria teneatur velim , me non Topographum gerere , ſed monumenti veteris editorem .

XIII.
Tuscania , ſeu
Tuscanella unita
Viterbiensi.

De Viterbiensibus Episcopis acturus Ughellus superva- cùo ſe velle labori ſuperfedere ait , quia ſua ætate Petrus Coretinus Civis Viterbiensis hoc ſibi grave munus defumferat , ac proinde p̄x aliis aliorum ſententiis duas , & qui- dem dubitanter , in medium affert : eorum videlicet , qui ad Episcopalem dignitatem evectionem eſſe ajunt Viterbii Civita- tem a Clemente III. anno 1189. quum unitæ eidem ſunt Bleda , ſeu Blera , urbs in libro Pontificali celebris ob Lan- gobardorum invasionem , Tuscanella , & Centumcellæ ; & eo- rum , qui dignatam Sede Episcopali autumant 1191. a Cæ- leſtino III. Utramque autem opinionem manifeſte falsam demonstrat Ughellus , docentibus quibusdam documentis , ab anno 1106. Paſchali ſecundo Pontifice , inveniri subscriptos & Tuscanellæ , & Viterbi Episcopos . Quare Viterbiensis Se- dis antiquitate vindicata , eidem poſtea junctas eſſe ait di- rutarum Civitatum Tuscanellæ , Bleræ , ac Centumcellarum Episcopalia jura , duodecimo ſeculo exeunte , ut laudati apud eum Scriptores tradunt . Secus hodie res habet ; nam V. C. Fran-

Franciscus Marianus Vaticanæ Basilicæ Beneficiatus , & Bibliothecæ Scriptor Græcus , in patriæ suæ obsequium paucis ante annis opus eruditissimum evulgavit , in quo Tuscanellum a Tuscania distinguit . Quæ viri eruditissimi opinio si arrideat , deponenda erit , quam jampridem imbibimus ; Viterbum videlicet modo oppidum , modo civitatem in libro Pontificali appellatam , fuisse olim vicum , fortasse ubi erat Fanum Voltumnæ : credendumque , quod Viterbum & Tuscania , una eademque civitas dupli appellata nomine , longe alia fuerit a Tuscanella excisa . Tantæ ego quæstionis non ero judex : id tantum indicasse satis mihi est , ut Tuscanæ Sedem in Concilio Lateranensi memoratam jure a me recenseri inter antiquatas ostenderem , veteri opinione ducto ; simulque eruditum Viri Cl. conatum suaderem expendi , ut vel antiquitas Viterbiensis asseratur , ac proinde Tuscanensem Sedem ad nostra tempora protrahendam , Viterbiensis nomine , judicetur ; seu institutio Viterbiensis recentior existimat , adeoque Tuscaniam , & Tuscanellam vocum similitudine unam eamdemque urbem Episcopalem esse , cuius Antistes nostro Concilio interfuit , excisam postea , ut dixi , & Viterbiensi jam gliscenti adjunctam , juxta opinionem veterem , censeatur . Meam tamen opinionem subjiciam , venia prius ab eruditissimo viro impetrata . Video Sedem Tuscanensem appellari apud veteres , & in Conciliis , Tuscanensem , Tuscanensem , Tuscanæ , ut in nostro , & Tuscanæ ; numquam vero Tuscanellæ , Tuscanensem , &c. juxta recens factum nomen ei loco , præterquam in Bulla Sancti Cœlestini V. tum apud Ughellum , tum apud eumdein V. C. pag. 239. quando id nomen jam invaluerat : *Cœlestinus Papa III. Prædecessor nostri Viterbiensem , Tuscanellæ. Centumcellens. & Bledanen. Ecclesiæ univit &c.* Hinc tamen non duo civitatum nomina deduco ; at ex antiquis Tuscanæ ruderibus excitatum oppidulum , non , prisci instar nominis , Tuscaniam ob casarum exiguitatem , at Tuscanellum appellari cœptum , quod postea amplificatum retinuit , pro certo habeo : ut si hodie pristinam recuperaret dignitatem , Tuscanellenses , non Tuscanenses ejus Antistites vocarentur . Qui autem Tuscanenses appellaret , S. Cœlestinum imitaretur , qui postquam Tusca-

90 D I S S E R T A T I O N I S

Ughell. to. 1.
de Viterb. Epp.
nellensem appellavit eam Sedem , prosequitur : *Clerus , & populus Thuscanensis... Episcopo Viterbiensi , & Thuscanensi.*

XIV.
Sedes Episcop.
Populoniæ , h.
Massæ .

Geog. Sacr.

S. Greg. M.
Ebr. 1. ep. 15.

Populoniam , seu Populonium , non Polonium , ut corrupte legitur in nostro Codice , antiquissimam urbem Episcopalem , cuius Præsul Asellus subscribebat Concilio tertio Symmachi , esse unitam Cathedrali Massæ non ignoratur . De tempore tantum lis est : nam Ughellus , S. Gregorii Magni autoritate motus Populonii excidium ab ævo ejusdem Gregorii videtur repetere , & cum ejus excidio dignitatis Episcopalis translationem conjungere , at quum faciat Carolum Magnum antiquorem Gregorio , non est illi audiendum . Præterea Gregorius non urbis excidium , at silentium Episcorum , dolet . Verba Gregorii ad Rosellanum Episcopum , sunt : *Pervenit ad nos , quod Populensis Ecclesia ita sit Sacerdotis officio destituta , ut nec pœnitentia decedentibus ibidem , nec baptisma possit præstari infantibus..... Memoratæ Ecclesiæ visitator accedas , ut unum Cardinalem illic Presbyterum , & duos debeas Diacones ordinare .* Quamobrem falso appellatur testis Gregorius excidii a Langobardis inlati Populoniæ post S. Cerboni excessum , falsoque translatio Episcopalis assertur , ita tamen ut Massensis Antistes ad multos annos Populoniæ titulum præsetulerit . Quod quam verum sit Annales Bertiniani testantur , qui anno 809. habent : *In Tuscia Populonium Civitas maritima a Græcis , qui Oroboitæ vocantur , depredata est .* At fuerit etiam excisa , dignitasque Episcopalis ab ineunte nono seculo translata fuerit Massam , non idcirco diuturnum Episcopale silentium ab ævo S. Gregorii Magni usque ad annum 680. (quum Serenus Populoniæ Antistes subscribit Agathonis epistolæ) a Langobardicæ infestationis ingenio ita abhorret , ut Episcopalem inde dignitatem omnino ablatam judicemus . Evidem documentis carens concertationem Scriptorum non ausim definire ; attamen id observo , quod quamquam nono ineunte seculo a Pipino Caroli Magni filio , seu ab hujus filio Bernardo aliquanto serius , pro aliis aliorum sententiis , Populonia excisa fuerit ; Episcopi tamen Populoniæ nomen retinent usque ad annum 1126. quum Rotlandus antea Populonien. Honorii II. Diplomati subscribit Massen. Episcopus ; indeque nullum amplius Po-

Populonii nomen auditur. Quare obvium creditu mihi videtur, quod Populonienses Episcopi iterum excitati post tempora Gregorii Magni, ea in urbe perstiterint usque ad ejus excidium nono seculo: inde vero usque ad duodecimum, quum sedebat Rotlandus, qui Vastellensi Concilio sub Paschali II. anno 1106. subscriptit Episcopus Populoniae, & viginti post annos Bullæ cuidam Honorii II. subscriptit Massensis, conse disse in urbe Massa, at Populoniae jura non esse Massam translata ante hunc Rotlandum, eo viginti annorum spatio, qui inter 1106. & 1126. intercedit.

Non minus obscura translatio Cathedrae Lunensis Sarzanam. Lunæ siquidem excidium Blondus, Albertus, Ughellus, quo anno factum sit, non referunt. Volaterranus insuper, quem Ughellus sequitur, ex Lunæ ruderibus Sarzanæ oppidum crevise nos docet. Omnium opiniones Anonymus Mediolanensis eruditissimus ad trutinam revocat: cum Anna libus Bertinianis ostendit Lunam a Mauris, & Saracenis anno 849. vastari non everti; Holstenii, & Arduini de ever sione Lunensi a Nortmannis facta opinionem eludit; Sergiano, seu Sarzanæ suam antiquitatem restituit, Lunæque vitam contra Desiderianum edictum producit; utramque urbem diu simul perstuisse ostendit; crevise Sarzanam ex Lunensi illuc Episcopio translato, non ex Lunæ ruinis concludit. Translatio vero Episcopatus ex Cathedra S. Basillii Lunensi ad Cathedram S. Andreæ Sarzanam, facta a Waltero Episcopo, Innocentii III. autoritate, anno 1204. comprobatur ab Ughello ex Regesto Vaticano ep. 24. fol. 116. VIII. Cal. Apr. anno VII.

Quartam inter Sedes Episcopales antiquatas numeravi Cærensem. Urbs Cære antiquissima, quæ a conditoribus Pelasgis Agylla dicebatur, & a Scriptoribus fere omnibus inter duodecim Principales recensetur, vulgo hodie Cervetri, Cathedram Episcopalem habuit, eamque diuturnam, ut constat ex Diplomate Joannis XIX. ab Ughello in Episcopis Silvæ Candidæ producto, cui subscriptit *Benedictus Episcopus Cerenensis*. Quando autem instituta, aut antiquata ea fuerit querendum aliis relinquo. Secus est de Cathedra Polimartii, quam Carolus a S. Paulo unitam Ferentinæ esse conjectit

XV.
Cathedra Lu
nensis ha Sarza
na.

Scripto . Itsl.
to.x. Tabr Chro
mog. Col. ,201.

XVI.
Sedes Epp. Ca
rensis, & Poli
martii.

ex Concilio Lateranensi Martini I. anno 649. celebrato , ei enim subscriptit Bonitus , *Ferentispolimartianum* se appellans . At quum Carolus septimum suæ Geographiæ sæculum pro limite constituerit , quæ post sextum evenere , parum diligens indagavit ; ac proinde *Anonymous* Mediolanensis parum inde lucis habere potuit . Auctor Ughelli diligentius rem persequitur , septem Polimartii prolatis Episcopis : 1. Bonito . 2. Barbatiano , qui subscriptit epistolæ Agathonis anno 680. 3. Majorino ex Concilio Romano 721. 4. Joanne ex Concilio item Romano 743. 5. Agatho , seu Agathone ex Concilio Rom. Eugenii II. 826. 6. Marino , qui de mandato Agapeti II. præfuit Concilio Engelenheimensi an. 948. & Ughellus de Constantino Portuensi agens , testatur , quod *Marinus Polimartiensis Episcopus* , & *S. Sedis Bibliothecarius* 956. sub *Joanne XII.* inventur subscriptus : 7. demum Lamberto , qui adfuit Concilio Romano Benedicti VIII. an. 1015. Unde liquet , Polimartensem Sedem ante annum millesimum nulli unitam fuisse , contra opinionem Caroli a S. Paulo . Postea vero , ut idem Auctor , seu Continuator Ughelli nos docet , iuri esse cœpit Balneoregiensis Episcopi .

XVII.
Sedes Epp. Cen-
tumcell. Trium
Tabern. & Pri-
verni .

Tab. Chronogr.
col. 2190

Centumcellarum Cathedram gliscenti Viterbiensi unitam esse una cum Blera , & Tuscanella supra vidimus cum Ughello per duodecimum sèculum . Verum non continuo postquam excisa est urbs ista , ejus Episcoporum silentium cœpit ; nam ante annum ædificatæ novæ urbis a Leone IV. quam Leopolim appellavit , nempe 854. Dominicus Centumcellensis subscribebat Romano Concilio . Eaque propter *Anonymous* Mediolanensis , qui majorem ejus antiquitatem acceptam refert Carolo a S. Paulo , dum Adriani tantum ætatem commemorat , subditque Maurorum vastationem ex Annalibus Bertinianis an. 813. videtur non recte credidisse , inde Episcopalis dignitatis suppressæ ætatem desumi : nam omnium primus Cælestinus III. eam univit Viterbiensi , exeunte seculo duodecimo , ut dictum fuit . Aliquanto diversam videre est Trium Tabernarum Sedis historiam ; ea quippe semel , & iterum Veliternensi est adjuncta . Primum enim Sanctus Gregorius Magnus Langobardorum furore vastatam urbem addidit Veliternensi , ut Continuator Ughelli ex S. Pon-

tifi-

tificis epistola observat. Deinde pristino decori restituta, suos habuit Episcopos, Parvum videlicet, qui subscriptit Constituto Pauli I. Pinium, qui nostro interest Concilio, & post annos 56. reperitur Leoninus in Concilio Eugenii II. Anastasius in Concilio Leonis IV. 853. ejusque Successor Joannes, qui subscriptit in Concilio Romano anno 868. condemnationi Pseudo-Synodi Constantinopolitanæ Photii. Deinde vero omnis Trium Tabernarum Episcoporum memoria evanescit, ut ait idem Continuator, civitate ob Barbarorum saevitatem eversa, rediitque ea Sedes ad Veliternensis jura, ut a Gregorio Magno fuerat constitutum. De Sede Priverensi nil nisi tenebris obvolutum: nam ante seculum septimum fuerit, necne Episcopalis, quum a Carolo a S. Paulo fileatur, incertum; post ea tempora hæc testatur Ughellus de Tarraciniensibus Episcopis loquens: *Privernum Episcopali dignitate ornatum, licet injuria temporum Episcoporum suorum memoria obliviscatur, inveterata apud omnes confirmat sententia, tres antiquos Priverni Episcopos in variis Conciliis subscriptos reperiri, Eleutherium scilicet anno 826. sub Eugenio II. Majum sub Leone IV. anno 853. Benedictum in Concilio sub Joanne XV. 938. aliorum vero Priverni Episcoporum omnis memoria excidit.* Ecce itaque Ughello ex majori antiquitate, septem videlicet, & quinquaginta ante annis, nostrum Bonifacem Episcopum, qui tres ab eo allatos praedit: haud dubie alios proferet ætas. *Quo vero tempore, prosequitur, hæc Ecclesia cum Tarracinensi unita fuerit, nil certi afferri potest; quum illius unionis tantummodo in Honorii III. Diplomate anno 1217. mentio reperiatur.*

Quam nono loco examinandam proposui ex antiquatis Sedibus, Trebia est, seu Treba, ut eam vocant Ptolomæus, & noster Codex, vulgo Trevi non ignobile oppidum, eaque, ut videtur, ex antiquioribus; namque hujus Sedis Praeful Propinquus, quod aninadvertisit Carolus a S. Paulo, subscriptit Synodo V. sub Symmacho, & ante eum Constantinus alii Romanæ Synodo interfuit sub Felice. Continuator Ughelli Episcopos omnino septem enumerat Romanis in Conciliis notos; quorum extremi Paulus & Crescentius apud Baronium, & Holstenium in Eugenii II. & Leonis IV. Conciliis subscripti: post annum vero 1059. nullam ejus Sedis

Ital. Sac. to. 1.
col. 196.

XVIII.
Sed. Ep. Treb.
unita Spoleto,
Manturianum.

Præsulum memoriam occurrere idem Continuator testatur; subesse enim cœpit Spoletano Antistiti. Manturanensis, seu Manturianensis in Tuscia Sedis nomen ipsum aucupatur Carolus a S. Paulo ex literis Ludovici I. Imperatoris, utiturque autore Antonino Massa in libro de Faliscis: Reparatum vero, quem subscribere ait Concilio Lateranensi sub Martino I. animadvertisit Continuator Ughelli non Manturani Tusciae, sed Marturani in Brutiis fuisse Episcopum. Venia est tamen Carolo adhibenda, quoties præscriptos sibi limites prætervehitur. Cæterum ab acerrimo sex priorum Ecclesiae seculorum vindice nullum antiquiorem Manturani Episcopum dimidio seculo septimo inventum esse, eique Manturani Sedem controverti, argumentum est minime dubium, quod series Episcoporum ejus Sedis exigua sit. Tres ibi Præsules sedisse negari non potest: Bonum, qui Concilio huic Stephani III. adiuit, Theodosium, qui Romano Concilio Eugenii II. & Theodorum, qui Romano item Concilio Leonis IV. subscriptis. Ii vero omnes Manturanenses, seu Manturianenses, non Maturanenses nuncupantur, ut Anonymus Mediolanensis in Ludoviciana, & in Geographia Sacra se legisse testatur. At Geographiam Sacram non vidi puram, putamque, ut Carolus a S. Paulo eam vulgavit; nec mirum est, Holstenium mutasse nomina, etenim Maturanum is cum Barbarano unum, idemque oppidum esse putat prope Viterbum, seu 15. m. passuum in austrum, ut Anonymus notat. Locum pariter Anastasii producens Anonymus, Maturianense Castrum scribit perperam; nam præter editionem Conciliorum Surianam, omnes Anastasii Codices legunt Manturianense, sive Mantuanense. Manturanum vero oppidum an fuerit Barbaranum, quod Anonymus cum Holstenio contendunt, & eruditissimus Viterbiensis negat, definiendum aliis relinquo: ac proinde an Manturanum idem sit, unde & Episcopus Dominus in Pauli constituto subscriptus invenitur; neque me pudet peregrinari in Italia.

Marian. Etr.
Metrop. p. 249.

XIX.
Sedes Episcop.
Castri Gallesii
unita Civit. Ca-
stellana.

Qui vocatur in Codice Episcopus Gallis, (de Silva Candida dicam postremo loco) haud dubie Gallesii Castrum est habendus, Donati videlicet Gallensis, & Dominici Gallensis Predecessor, qui Conciliis Romanis Eugenii II. & Leonis

nis IV. interfuerunt , ut Baronius , & Holstenius fidem faciunt . Nam ut dissidia præterea cruditorum , num Gallo-
nese cum Anonymo Ravennate , an Gallese nunc temporis
recte audiat , Gallesium in Ludoviciana , Galliensium , &
Gallientium in libro Pontificali passim vocari comporio , &
quod cominus lectionem attingit nostri Codicis , *Gallenium*
in celeberrimo Farnesiano Codice nuncupatur . Hinc vero ad-
venisse Præfulem ad Concilium , certo certius mihi est , nam
multis ante annis Gregorius III. id Castrum redemerat a
Spoletino Duce Trasimundo , ut cessarent bella & quæstio-
nes , potuitque causa finire , ait liber Pontificalis . Hanc ve-
ro Sedem Episcopalem non esse admodum antiquam ait Con-
tinuator Ughelli , quippe quam emersisse putat ex Romani
Imperii excidio , ac per sextum seculum ad Episcopalem hono-
rem pervenisse , cuius rei fidem apud eum relinquo . Ejus
modo jura ad civitatis Castellanæ Præfules pertinent , ut do-
cet Massa de rebus Faliscorum , unde Miræus , & Ughellus
hauserunt sua . Alexander siquidem quartus an. 1252. prædi-
ctæ Sedi Gallesiam adjunxit , cui sic unita persistit amplius
trecentis annis , quoad Pius IV. anno 1562. utramque
invicem segregavit , suum Gallesiæ Præfulem tribuens , at
septem post annos ob inopiam , Castellanæ iterum civitati
adjungi eam oportuit .

Postremam omnium Sedium , quas dixi , aut dignitate
pristina excidisse , aut , si existunt , aliis esse adjunctas Eccle-
siis , ordo confidentium in Concilio Episcoporū facit Veli-
tras . Hæc vero non modo inter antiquatas recenseri non
debet , verum etiam præcipuis Episcoporū Sedibus antefer-
ri . Etenim post excidium Ostiæ , ne hujus Episcopus , Sacri
nimirum Collegii Em. Decanus careret ovibus , ab Euge-
nio III. Veliternensis Cathedra , perpetuo juncta vinculo
cum Ostiensi , commissa eidem est dimidio seculo duodeci-
mo . Verum ante annos triginta , quam Velitræ Ostiensi Epi-
scopatui adjungerentur , Calistus II. Ecclesiæ Silvæ Candi-
dæ a Saracenis eversam , deinde a Sergio III. instauratam ,
at frequentes ob Barbarorum invasiones vacuam incolis , Por-
tuensi adjunxerat , utriusque juribus , ac privilegiis uni Epi-
scopo communicatis , ut nostra ætas nos docet . Hinc autem ,

ab

Bar. 826. 853.
Holst. coll. Rom.
pagg. 90 & 116.
P. 203.

Anastas. sec. 203.

xx.
Veliternensis
adjuncta Ostien-
si , & S. Rufiæ
Portuensi .

ab anno videlicet conjunctæ Ecclesiæ S. Rufinæ , seu Silvæ Candidæ cum Portuensi , 1120. numerus septem Cardinalium Episcoporum , primum repetendus a Concilii hujus Lateranensis ævo , ad sex dumtaxat cœpit redigi , quemadmodum usque ad hunc diem perseveravit . Hæc præcipua ratio est , cur Silvam Candidam post Sedes alias antiquatas recensere volui ; quamvis hujus vices præiverint narratis Ostiensis . Etenim , præterquamquod Ostiensis principem semper locum ob veterem prærogativam conservavit , ideoque operæ pretium erat gradu inferiorem Sedem illi postponere , quam Sanctissimus Dominus noster Clemens XII. in laudato Diplomate , quo ceterarum quinque Sedium Cardinales Episcopi prohibentur optare , prærogativæ ejusdem causa exceptit ; quum laudatae Cardinalium Episcoporum Sedes , post unionem Silvæ Candidæ cum Portuensi , sex esse cœperint , tantæ mutationis epochem stabiliendam duxi seorsim ab antiquatarum Sedium sermone , quarum vices minus ad Concilium Lateranense pertinent . Quamobrem septem Episcopi Cardinales , & Hebdomadarii Lateranenses , de quibus juxta Baronium prima mentio est Concilii nostri tempore ; tametsi eorum institutio repetenda videatur a primordiis tranquillitatis Ecclesiæ per Constantinum redditæ , usque ad annum 1120. numero pauciores nunquam fuerunt . Inde vero sex dumtaxat a Callisto II. constituti , ad nostram ætatem perseverarunt : quumque eadem sex Emm. Cardd. Episcoporum Sedes , prisco more alium deinceps aliumque ordinem sint habituræ , quemnam habeant , dum scribo , dicam posteris necesse est . Hodie igitur Emm. Cardinalium Sedes ita sunt dispositæ . *I. Ostiensis , & Viterbensis . II. Portuensis alias S. Hippolyti , & Silvæ Candidæ , seu S. Rufinæ , & Secundæ . III. Prænestina . IV. Sabinensis . V. Albana . VI. Tusculana .*

C A P U T I V.

*Nomina duo, & quinquaginta Episcoporum, qui
adfuerunt Concilio Lateranensi.*

QUAM de Provinciis, Sedibusque Antistitum, quos Stephanus III. tum ex Francorum regionibus, tum ex Tuscia atque Campania, & ex Provincia Italia congregavit Romæ, quæ necessaria erant, pro meo modulo explicaverim; restat nunc, ut de eorum omnium nominibus aliquid dicendum videatur. Quod libenti animo præstabo, ne, quum decem fere seculis maiores nostros latuerint, jamdem prodeuntia in lucem, nuda, omniq[ue] prorsus ornatu vacua, parum grata sint earumdem Sedium Episcoporum Successoribus. Illorum itaque initurus gratiam, qui excitorum Antistitum Sedes tenent in maxima Ecclesiæ rerum tranquillitate, quidquid de iisdem didici in medium afferam. *Joanne Ven. Diacono Sanctæ Ecclesiæ Ravennatis locum præsentante SERGII.... De Sergii Archiepiscopi electione & vicibus sum loquutus superiori capite. Electionem nimirum illigavi cum Bacchino anno 752. dum civitas Metropolis ab Julio mense superioris anni ab Aistulpho Langobardorum Rege occupabatur, exactis Exarchis. Ibi etiam exulem a propria Sede, Summique Pontificis beneficio reducem memoravi. Cæterum is ex Laico ad Archiepiscopalem dignitatem electus prædicto anno, redeunte post biennium ex Francia Stephano II. invidia suorum civium deductus est Romam, ubi tribus annis implicitus litibus moratus est. Deinde sedente jam Paulo Ravennam rediit; in suam vero Sedem nonnisi sero est restitutus. Præcipuum ejus crimen, quod in Concilio ausus est illi objicere Pseudo-Papa Constantinus, quia electus erat ex laico. Uxorem habuit Euphemiam nobilissimam feminam, quam ad id fastigium electus in monasterio clausam ordinavit Diaconissam. Vir pius, sanctisque moribus (de quo schismaticus Agnellus multa confinxit) paulo post Concilium Lateranense occubuit mortem, ut refert liber Pontificalis, ipso nimirum an-*

I.
• Sergius Ar-
chiepiscopus Ra-
vennae.

no 769. vel sequenti, ut putat Ughellus, cuius Chronologia non semper exacta. Ad Concilium evocatus, valetudine, ut arbitror, laborans non potuit per se venire, at Diacono Joanni suis demandatis vicibus, in S. Sedis obsequium duos ex Suffraganeis, Cæsenatem, & Faventinum Episcopos misit. Primum post Pontificem locum habet in Concilio ob Ravennatis Ecclesiæ privilegium, de quo superiori capite.

II.
2. Willicarius
Archiepiscopus
Senonensis.

VVILCARIO Archiepiscopo Provinciae Galliarum Vicissim Senonensis. Dimidium nominis tempus edax nequicquam absursum sit; nam, præterquamquod in Schedis Panvini illud legit integrum Sirmondus, hoc codem in Concilio occurrit iterum, dum e manibus Primicerii Notariorum accepta invasionis Apostolicæ Sedis Acta, tradidit legenda Leontio Scribentario uni e septem Diaconis Regionariis. Ipsum Sedis nomen mirum in modum corrupte scribitur: non quod *Senensis*, pro *Senonensis*, legatur; tota siquidem in Flodoardi historia, quod observat Colvenerius, (*Schol. libr. 3. cap. 1.*) *Sennensis* semper legitur, perindeque in Catalogo Ms. Episcoporum totius orbis apud eum: ita etiam Aimoini continuator (*libr. 5. cap. 33.*) & Annales Bertiniani (*anno 876.*) quos ego viderim, præter epistolam S. Zachariæ (*Cod. Bonif. 143.*) *Senensem*, & *Sennis*, pro *Senonensem*, & *Senones*, Archiepiscopum, & urbem appellant: sed ob vitiatam illam additionem *Vici*, quod Senonum civitati adjunetum, per se rarus, citra leges grammaticæ scriptum fuit. Cæterum Willicarius successit in Sede Senonensi Episcopo Lupo post annum 765. al. 762. ut testatur conventus Attiniacensis eo anno celebratus, cui subscribit Lupus Episcopus Senonensis. Hic, ut docet nova editio auctior, & correctior Saminathanorum, advexit in Senonensem suam Ecclesiam ex monasterio Agaunensi in Vallesiis, sacra pignora Thebeorum Martyrum, rediensque ab hoc Lateranensi Concilio in Gallias ipso celebrationis anno 769. e vivis ademtus in Sancti Petri Ecclesia tumulatur. Diu anceps fui, num Willicarius iste ille esset Numentanus Episcopus, qui comitatus est in Franciam Stephanum II. cum Georgio Ostiensi; at quum videam in Annalibus Francorum Willicarii, Williharii, aut Wilcharii nomina non semel occurrere, celebre esse

esse intelligo id nomen per ea tempora in Italia, & in Galliis.

G E O R G I O Episcopo Ostiensi. Primum hunc Episcopum Cardinalem Ostiensem (vulgarem sequar opinionem, superiori enim capite ostendi longe altius ab ætate Georgii repetenda esse Cardinalium Episcoporum primordia) ignoravit Ughellus: at ejus Continuator novit viæ comitem cum Williario Numentano fuisse Stephano II. in Franciam eunti anno 753. quod Baronius, cæterique didicerunt ex libro Pontificali. Falso autem Ughellus autoritate Baronii eum confundit cum Gregorio Georgii Successore, qui legatione fungens Adriani Papæ anno 787. præsedidit una cum Collega Theophilastro Episcopo Tudertino Concilio Calchutensi; nam Baronius libri Pontificalis verba exscribens, Georgium, non Gregorium appellat. De ejus ordinatione, & morte nihil exploratum habeo; at certe ante annum 753. erat Episcopus, & Concilii hujus ætatem præteriit. Ejus legationes pro Apostolica Sede, & res præclate gestas enarravi superiori capite:

B U L F E R A M O Episcopo Meltenſi. Codex in barbarie persistens appellat Bulferamum, quem in Catalogo Meldenium Episcoporum apud Sammarthanos, & in Conventu Attiniacensi Vulfrannum novimus nuncupari. Eundem cum aliis undecim Francorum Episcopis venisse Romam hucusque ignoravimus: nam Sirmondus, cui omnes acceptum referimus, quod Francorum Episcopi emerserint ante Italos, in Schedis Panvini id nomen non legit. Quin etiam, siquid liceat de tanto viro suspicari, Suffraganeis admixtos Metropoleonurbium Episcopos, ipsemet segregavit; atque ita transmisit posteris alium omnino ordinem ab illo, qui in nostro Codice servatur integer, deditque mihi occasionem hac de re scribendi. At præstat utrumque hic subjicere.

Sirmondus.

Willicarius Senonenſis.
Lullus Moguntinus.
Gavienus Turonensis.
Addo Lugdunensis.

Codex.

Wilcharius Senonen.
Georgius Ostien.
Bulferamus Melden.
Lullus Moguntin.

N 2

Her-

III.
3. Georgius
Episcopus Car-
dinialis Ostiensis.

IV.
5. Vulfrannus
Episcopus Mel-
denis.

Herminardus Bituricensis .	Gaviennus Turonen.
Daniel Narbonensis .	Ado Lugdunen.
Tilpinus Remensis .	Herminarius Bituricen.
Herulfus Lingonensis .	Daniel Narbonen.
Herembertus	Hermembertus Joahione .
Babulfus	Verabulpus Burtevulgi .
Giselbertus	Erlulfus Lingonicen.
Joseph	Tilpinus Remen.
	Giselbertus Noviomagen.

Vel leviter spectanti mutatio aperta est , cujuscumque ea fuerit : at Panvinum Veronensem latitantem in patria veritatem occuluisse , vix crediderim .

V.
s. Lullus Episcopus Moguntinus.

LULLO Episcopo Moguntino . Lul s̄epius ; quam Lulum nominari hunc Episcopum docent Codex Bonifacianus , & Tomi Conciliorum , ut notat in Scholiis ad Flodoardum Colvenerius . De ejus ordinatione communis opinio est , S. Zachariam primo improbasse S. Bonifacii petitionem , de Successore Moguntiæ ordinando , ut constat ex ejus literis , at postea assensum dedisse , ubi ait : (*Cod. Bonif. ep. 140.*) *Sin vero si Dominus dederit , juxta tuam petitionem , hominem perfectum , qui possit sollicitudinem habere , & curam pro salute animarum pro tui persona illum ordinabis Episcopum , eritque in Evangelio tibi credito , & ministerio Christi portando in omni loco requirens , & confortans Ecclesiam Dei .* Et sane cum Othlono , & Willibaldo eruditio Recentiores , præque iis Serarius affirmant , ordinatum esse Lulum , accedente Pipini Regis assensu . At quoniam in literis Zachariae nulla de eo mentio est , quem coeteroqui S. Pontifex probe norat , tanquam discipulum , & Presbyterum Bonifacii , cuius aliquando legatum gessit apud S. Sedem , non est mirum , si viginti post annos dubiæ , ut vidimus , ordinationis visus est Adriano ; namque Episcopali contentus ordinatione Pallium , nec quæsierat , nec obtinuerat . Quamobrem licet Moguntina Sedes ab an. 745. Metropolis dignitatem adepta erat , post secessionem S. Bonifacii an. 753. quum Lullus est ordinatus Episcopus , usque ad Adriani tempora , cæterarum Galliæ Metropoleon sortem est imitata ; quidquid Hincmarus nepotem doceat , Pallii concessionem fuisse genus Pramatæ , qua de

re

re alibi fusius. Ad Lullum, quod attinet, Attiniacensi & is Conventui adfuit, ejusque ministerio, ut constat ex Annalibus Circuli Westfalici, (*libr. 2. pag. 87.*) Widechindus Dux Saxonum baptisini gratiam percepit an. 785. & anno sequenti, ut refert Chronicum Wirtziburgense (*Baluz. to. I. Miscel.*) die 16. Octobris mortem occubuit. Sedit, ut tradunt Annales Lambeciani, post Bonifacium Moguntiæ annos 32. Archiepiscopali autem dignitate annis circiter undecim gavisus est. *Mabillon. sec. 3. p. 2. pag. 392. Pag. ann. 753. & 786. Serar. in vita Lal.*

GAVIENNO Episcopo Torenorum. Præter discrimen nominis, Gavienni videlicet in nostro Codice, & Gavieni in Schedis Panvini, de hoc Lugdunensis III. urbis Metropolis Antistite nihil suppetit. Perinde est de *ADONE Episcopo Lugdonensi*; nam omnes Catalogi apud Sammarthanos laudantur pro afferendo ejus nomine, Ado etiam Viennensis appellatur testis ad an. 792. at nihil de rebus gestis, præter adventum ad Lateranense Concilium memoratur. De *HERMINARIO Episcopo Vethoricæ*, seu Bituricensi, id novimus, quod hic Episcopus urbis Metropolitanæ in Aquitania I., aliis etiam Hermenardus, & Hermenarius, vitam produxit usque ad annum 774. a Sammarthanis edocti, qui dant ei Successorem Deodatum usque ad 783. cuius de Successore Hermemberto jam diximus secundo capite, quum de confirmata per S. Pallium ab Adriano Archiepiscopali ejus dignitate, quæ diu filuerat in ea Sede, loquebamur. De *DANIELE Episcopo Narbonensi*, altum est silentium: quin ipsum nomen, quippe abrasum in Codice, ignoraretur, nisi ex Panvino illud cum aliis eduxisset Sirmondus. De duabus autem sequentibus *HERMEMBERTO Episcopo Joahione*, & *VERABULPO Episcopo Burtevulgi*, quorum Sedes usque ad hunc diem latentes, incertæ emerse sunt, quid conjectura assequi potui, enarravi secundo capite. Id tantum adjungam meæ conjecturæ, quod Ermembertos tres video intra viginti annorum spatium in Galliis, videlicet qui Lateranensi Concilio interfuit; quem vidimus esse factum Archiepiscopum Bituricensem ab Adriano (nisi forte erat idem) & Ermembertum Presbyterum, quem Ca-

VI.
6. Gavienus
Episcopus Turo-
nenensis.

7. Ado Episco-
pusLugdunensis.

8. Herminia-
rius Episcopus
Bituricensis.

9. Daniel Epi-
scopus Narbo-
nenisis.

10. Hermem-
bertus Episcopus
Joahone.

11. Verabul-
pus Episcopus
Burdegal.

rolus Magnus misit Romam , quum de Ravennatis Archiepiscopi ordinatione cum Adriano agebat. (*Cod. Carol. cp. 71.*) quæ ostendunt , id nomen , ut de Willicario ajebam , illa ætate fuisse celebre , ac proinde in rei cognitionem vi nominis veniri non posse.

VII.

12. Erlulfus
Episcopus Lin-
goniensis.13. Tilpinus
Episcopus Re-
mensis.14. Gilbertus
Episcopus No-
viomensis.

ERLULFO Episcopo Lingonensi . Hunc Lugdunensis Suffraganeum vario agnoscunt nomine Sammarthani ; nam Herlulfum , Hariolfum , & Arlulfum , præter Erlulfum , nuncupari testantur : estque is celebris ob excitatum Monasterium Elvvacense , quod & Elvvangense , Elephancense , seu Elephantiacum appellatur , an. 764. Mabillonius id Monasterium collocat in Diœcesi Augustana . De *TILPINO Episcopo Remensi* , cuius nomen injuria temporis periit in Codice , at in Schedis Panvini servatur integer , abunde loquitur Flodoardus (*Hist. Rem. libr. 2. capp. 16. & 17.*) Idem assumptus fuit ex Monasterio S. Dionysii , diutissimeque , annis videlicet 47. Remensem Ecclesiam gubernavit , multa Ecclesiæ suæ vindicans antiqua jura . *Præterea multi* , ait Flodoardus , *sub hujus Præfulis Episcopatu res suas ad Ecclesiam Remensem tam S. Mariæ* , quam S. Remigio contulerunt . Covenierius ad hujus Præfulis historiam observat , hunc vocari ab aliis Turpinum , seu Joannem Turpinum , cuius nomine extat inter Scriptores Germanicos Reuberi , historia Caroli Magni , & Rolandi , quam cæteroqui Papirus Massonus , & Possevinus recte putant esse fetum otiosi hominis juvenuti moremgerentis : & nos ipsi videmus ejusdem ingenii homines eam historiam sequi , ut Ludovicus Areostus sæpe , suis fabulis additurus fidem , illa utitur , quam inde etiam potiori jure abjudicandam intelligo Remensi huic Antistiti , cui supra vidimus Adrianum Papam graviores Ecclesiæ causas cognoscendas demandasse . Duodecimus , & postremus Francorum Episcopus , qui Concilio adfuerunt , est Noviomensis , qui ordine quartusdecimus sedet , ut legitur in Codice : *GISELBERTO Episcopo Noviomu* . Hic in Gallia Christiana appellatur Gilbertus , estque inter Noviomenses xxxii. quem Sammarthani obiisse diem suum referunt anno 782. sedendique ordo juniores cæteris Francis eum fuisse demonstrat . De nostris Italos mox referam quidquid com-

compertum habui, idque magis ut singula eorum nomina recenseam, quam ut Concilium illustrem: quæ enim historiæ pars ad id faciebat, persecutus eam sum superiori capite de Ravennatensi, & Ostiensi Sedibus loquens, quarum Episcopos Sergium, & Georgium primo, & tertio loco sedentes jam recensui.

JOSEPH Episcopo Derzonæ. Hunc Ughellus ad Cathedram Dertonensem ait esse assūtum an. 753. ac 765. esse mortuum, cui successerit Flavianus, quem eo anno vivere deprehendit. At noster Codex post quadriennium eum vivere, ac Romam ex Provincia Italia ad Concilium venire ostendit. Sirmondus, qui Vulfrannum Meldensem non legit in Schedis Panvini, uterque autem hunc Francis incertæ Sedis adjunxit, quæ res multorum fatigavit ingenia, ac demum, ut legitur in Gallia Christiana, inter Avenionenses numeratur. Inde vero eradendum Codex jubet, Dertonensisque Josephi Ughelliani ætatem protrahendam, Flaviani primordiis circa annum 769. collocatis. *LANFRIDO Episcopo Castræ.* Sedis hujus elapso seculo Aquæpendenti unitæ principium Ughellus deducit a seculo nono jam adulto, quum Beatum Bernardum Balneoregiensem primum Castræ Episcopum Leone IV. Pontifice floruisse putet. Ejus autem Continuator ab Holstenio edoctus, tempore Leonis IV. præesse Castrensi Ecclesiæ Jordanem, qui anno 853. subscribit Concilio Romano, B. Bernardi ætatem multo vetustiorem facit; quin & Custoditum Concilio Agathonis subscriptentem an. 680. duobus ferme seculis antiquiores Castrenses Episcopos fuisse ostendit. Noster Lanfridus observata Continuatoris amplificat; nec dubium est, quin alii aliique emergant vastam plurium seculorum lacunam Ughelli repleturi. Cæterum hujus Sedis primordia non sunt antiquiora septimo seculo, ut constat ex Geographia Sacra Caroli a S. Paulo, qui eam non novit. *AURINANDO Episcopo Tuscanæ.* Antiquissimæ hujus Sedis Episcopus Aurinandus eruditissimum virum Abbatem Mariani præteriit: collocari igitur potest in ea 140. annorum lacuna, quæ Vitalianum subscriptentem epistolæ Agathonis, dividit a Gaudemundo, qui Concilio Romano interfuit Eugenii II. an. 826. quoad novus aliquis

VIII.
15. Joseph Episcopus Dertonæ.

16. Lanfridus
Episcopus Castræ

17. Aurinan-
dus Episcopus
Tuscanæ.

^{18.} Balneo-Re-
giensis Episco-
pus.

indidem Episcopus excitetur *BALNEO Regiensis.*
Perinde est de Balneoregiensi , cuius nomen non est datum
deprehendere . Quamquam enim Ughellus post Joannem
huius Sedis primum Episcopum, alium non agnovit, præter
Alifredum, quem a Baronio didicit, prædicto Concilio Eu-
genii II. interfuisse ; tamen Ughelli Continuator videt *Clarensem* Episcopum Balneoregis laudatæ Agathonis epistolæ
subscribere . *PETRO Episcopo Polonii.* Neque Ughellus, ne-
que Continuator hunc Petrum ullibi invenerunt : quare in-
ter Ancaurum , sive Ancarum a Baronio memoratum an-
no 756. Ughello tertium, & Continuatori quartum Populo-
nii Episcopum locandus erit . Qui autem illi successerit in-
certum , nam usque ad Concilium Eugenii II. 826. cui ad-
est Garipertus, seu Guripertus, ut videt Baronius, & docuit
Holstenius , prolatu eodem Concilio , alias Populonii Episco-
pus non occurrit .

^{19.} Petrus Po-
poloniensis Epi-
scopus.

FELERADO Episcopo Lunensi. Ughellus post Seve-
rum certæ ætatis , qui subscriptis epistolæ Agathonis an-
no 680. in Catalogo Lunensium Episcoporum undecimum ,
nuda habet nomina Lenthecorii, & Apollonii, numeratque
quartumdecimum Gualcherium æqualem Caroli Crassi . Ejus
Auctor duos inserit post Apollonium, Petroaldum videlicet,
& Theudoaldum ; nos vero a Concilio Lateranensi disci-
mus , Feleradum præmitti oportere Petroaldo . *THEODO-
R O Episcopo Papiæ Ticini.* Ticinensium Episcoporum seriem
a Bossio editam sequutus Ughellus duos affert Theodoros ,
quos dividit S. Petrus ; utriusque tamen facta seorsim enar-
rans , utrobique suspicionem significat , qua Bossio libenter
adversaretur , unicunque Theodorum ex duobus faceret .
Henschenius ad diem 20. Maji S. Theodori Successoris San-
cti Petri vitam affert , unde eum liquet esse ordinatum a
S. Zacharia , ad quem extant ejus literæ ; eumdemque esse
mortuum XIII. Cal. Junii anno 788. constans opinio est .
Quare videtur recte suspicatus Ughellus , dum unum cre-
didit Theodorum ; at quum epitaphium apud Grutherum
extans , quo utitur Henschenius , testetur Theodorum suc-
cessisse Petro , non contra , retrahi oportet S. Petri ætatem ,
ita ut quo anno dicitur ordinatus , in vivis jam non esset .

^{21.} Theodorus
Episcopo Papiæ
Ticini.

Quam-

Quamvis enim credibile videretur , Petrum sedisse medio eo tempore , quo Theodorus a Desiderio expulsus erat , indeque duplicitis Theodori occasionem Bossio datam esse ; quum tamen Paulus Diaconus (*libr. 6. cap. 58.*) referat Sanctum Petrum floruisse tempore Liutprandi , qui fato funestus est anno 744. non egemus Henschenii Chronologia (*die 7. Maii*) quo eum Theodoro non successisse agnoscamus anno 751. ut vult Ughellus . Cæterum laudato ex epitaphio discimus S. Theodorum revocatum ab exilio , quum Carolus regnabat in Italia , post sublatum inde Desiderium anno 774.

*Et patrias iterum me fecit cernere terras
Tempore , quo Carolus Rex Magnus , & optimus istas
Tenuit , & rexit grandi pietate benignus .*

PETRO Episcopo Cæræ. Idem Petrus subscribebat octo ante annos Concilio , seu mavis Constituto Pauli I. De ejus Successoribus , Romano , qui interfuit Concilio Eugenii II. & Adriano , qui subscribit Concilio Leonis IV. Baronius , & Holstenius mentionem faciunt , ac de Benedicto ejusdem Sedis Antistite per seculum undecimum Ughellus . **MAURINO Episcopo Poli Martii.** De hoc Episcopo nihil compertum habeo præter nomen : est autem collocandus inter quartum hujus Sedis Episcopum Joannem , & quintum Agathum , seu Agathonem , de quibus supra cum Continuatore Ughelli .

21. Petrus Episcopus Cæræfis.

22. Maurinus Episcopus Poli Martii.

LEONE Episcopo Castelli. Castellanos , seu Civitatis Castelli Episcopos reperire non est , nisi post sextum seculum , ea enim urbs e Tiferni ruderibus excitata est . Excidium unius , alteriusque originem Ughellus in quarto Tifernatum Episcopo S. Floro , seu Florio amplectitur : *Oculis ipse bausit , inquiens , Tipherni excidium , quod prædabundi Totila milites immerenti Civitati intulere : perfugitque ad Herculanium Perusium , ut apud Magistrum salutare inveniret effugium , ut cum servatis Civibus defolatae deinde Civitati posset usui esse . Itaque quum rabiem exsatiaffsent Victores , atque alio circumferrent vietria signa , progressus Florius cum iis , qui Perusium perfugerant , Civibus , ex patriæ ruinis parvum excitavit Castellum , unde redivivæ postea Civitati indidere nomen antiquo suppresso : quod & testatur Philippus Ferrarius (13. Nov. ex monum. Eccl.*

x.
24. Leo Episcopus Castelli.

Tifern.) Hinc postea Episcopi ut plurimum Castelli, seu Castellani appellati, tametsi & Tifernates quandoque dictos docent Concilia, ut anno 761. Prædecessor Leonis Bonifacius subscrivebat Constituto Pauli, antiquo Tifernatis nomine: sed Stabilis, quem primum post Bonifacium agnovit Ughellus, Concilio Eugenii II. subscrabit *Castello Felicitatis*,

25. Sergius Episcopus Ferentinus. & ante eum noster Leo, ut videmus, *Castelli*. *S E R G I O Episcopo Ferentini*. Ughellus post Stephanum a Baronio allatum in subscriptionibus Constituti Pauli I. descendit ad Hadrianum, qui Leonis IV. Concilio subscrabit: quare noster

Sergius dici potest Successor Stephani in Ferentina Cathedra. *JORDANE Episcopo Signiae*. Signini hujus Episcopi nomen in nostro Codice ob temporis injuriam periit, at servatur in libro Pontificali (*Anast. secl. 287.*) eum quippe cum Andrea Prænestino adhibuit anno 770. Stephanus III., ut moneret Christophorum Primicerium, hujusque filium,

Sergium Secundicerium, quomodo sibi caverent ab scelesti Desiderii fraudibus, qui Pontificem ipsum dire vexabat: Jordanes igitur hauddubie fuerit, dandusque erit Successor, ni fallor, Joanni, quem Ughellus vidi affuisse Concilio Sancti Zachariæ anno 745. *ADONE Episcopo Ortensi*. Non est dubium quin hic Episcopus idem sit, qui anno 761. subscrivens Constituto Pauli I. Adam vocatur, Baronio, & Ughello cognitus. *ANSUALDO Episcopo Narniae*. Ughellus ab Willari, qui S. Gregorii II. decreto subscrivit anno 721. ad Stephanum descendit Leonis IV. æqualem inanem Episcopis relinquens Sedem Narnensem: en interim Ansualdus, qui vastam hanc lacunam imminuet.

27. Ado Episcopus Hortensis. *NIRGOTIO Episcopo Anagnia*. Novum, & Anagnina Sedes Antistitem Nirgotium Concilii hujus beneficio acquirit antea ignotum, quem Diptychis suorum Præsulum ad junget post Constantinum, qui subscrivit Pauli Constituto.

28. Ansualdus Episcopus Nar- niae. *AGATHONE Episcopo Sutri*. Seriem hic annorum magis amplam inter Sutrinos Præsules Gratosum, & Valerianum reperit, a tempore enim S. Zachariæ, ad Eugenium II. nullus memoratur Episcopus ejus Sedis. *ANO Episco- po Centumcellarum*. Assequi nullatenus potui exesi hujus nominis principium, ut antiquatæ huic Sedi darem integrum

29. Nirgotius Episcopus Anagnina.

30. Agatho Episcopus Sutri-

31. annus Episcopus Cen-

An-

Antistitem, centum viginti post annos Martini Successorem, qui anno 649. interfuit Concilio Lateranensi; eum quippe diuturnum aliud Successorum silentium excipit, usque ad Petrum, qui adest Concilio Eugenii II. **THEODORIO** Episcopo Tiburtinensi. Tiburtinum hunc Episcopum liber Pontificalis, & ex eo Baronius, Theodosium appellant, non Theodoricum, ut Ughellus Baronii autoritate abutens. Theodosius igitur post Concilium sequutus Pontificem Stephanum cum aliis Præsulibus ad S. Petrum Apostolorum Principem nudis pedibus, ubi Leontius Scrinarius Actis Concilii ex Ambone lectis populo, descendit; una cum Gregorio Silvæ Candidæ, & Eustratio Albano, *in eodem*, ait liber Pontificalis, *præfatae Ecclesiae ambone ascendentibus, anathematis obligacionem protulerunt, si quisquam præsumat quoquo tempore transgredi quidpiam de omnibus, quæ in eodem Concilio statuta sunt.* Eundem post annos quatuor Stephani Successor Adrianus sibi metuens a Langobardorum Rege Desiderio, postquam omnia disposuit Romæ, Legatum misit cum prædicto Eustratio Albano, & Andrea Prænestino, ad audacissimum Regem: *Factoque in scriptis anathematis verbo direxit eidem Regi, qui, ut prosequitur liber Pontificalis in vita Adriani, suscepto eodem obligationis verbo per antefatos Episcopos, illico cum magna reverentia a Civitate Viterbiense confusus ad propria reversus est.*

PINIO Episcopo Tribus Tabernis. De hoc Episcopo nil compertum habeo præter nomen, adeoque successisse eum video Parvo, qui anno 761. subscribebat Constituto Pauli I. De ejus autem Sede, vulgo Cisterna, sum loquutus superiori capite. **BONIFA** Episcopo Privernensi. Et de hujus Sede, nunc vulgo Piperno, ibidem egi utpote antiquata. De Bonifa enim, seu Bonifacio ante Eleutherium tempore Eugenii II. collocando, nihil suppetit. **NINO** Episcopo Alairino. In Catalogo Alatrinorum Præsulum omnium primus occurrit Saturninus, qui Concilio Generali sexto subscribit anno 680.; non enim septimo seculo antiquior est ea Sedes. Quare, ni fallor, Saturninus & hic dicebatur, supplere tamen exesam nominis partem propria autoritate non ausim. Quomodocumque appellaretur, Sebastiani est

32. Theodosius
Episcopus Tibur-
tianus.

XII.
33. Pinios E-
piscopus Trium
Tabernarum.

34. Bonifa E-
piscopus Priver-
nensis.

35. ... nimus
Episcopus Ala-
trinus.

Successor, qui, ut Baronius, & Ughellus observant, interfuit Concilio Romano sub Zacharia, neque ullus ejus Successor est obvius ante annum 853. sub Leone IV. cuius

^{36.} Valeranus
Episcopus Tre-
biæ.

Concilio adest Leo Alatrinus. *VALERANO Episcopo Trebe.* Hic, ni fallor, successit Grifoni, quinto ex hucusque cognitis Trebiæ Episcopis apud Continuatorem Ughelli, si-

^{37.} Bonus E-
piscopus Mantu-
rianensis.

quidem in Concilio S. Zachariæ subscripsit anno 743. *BONO Episcopo Manturianensi.* Hujus quidem Sedis Episcopus late vagari potest ab anno 769. quum Lateranensi Concilio aderat, versus institutæ suæ Sedis primordia, de nullo enim certo ejus Prædecessore constat, & post Concilium usque ad Successorem ejus Theodosium, qui Concilio Romano interfuit 826. *GREGORIO Episcopo Silva Candidæ.* De hoc

^{38.} Gregorius
Episcopus Silva
Candidæ.

Episcopo Cardinali loquitus sum nuper una cum Theodosio Tiburtino, cum illo siquidem res ejus gestæ conjunctæ sunt: hic autem notari velim, quod Gregorius iste non est idem, ut putat Baronius, qui Constituto Pauli subscripsit; namque est recentior ordinatione Tiburtino Theodosio, qui successebat Joanni post idem Constitutum.

XIII.
^{39.} Eustratius
Episcopus Alba-
nus.

EUSTRATIO Episcopo Albano. Quod nuper de Gregorio ajebam, mirum in modum comprobatur ab Episcopo Cardinali Albano; Constituto enim Pauli subscribebat Leo hujus Prædecessor. Unde liquet, quod Eustratius erat aliquanto junior consecratione, quam Gregorius. Ad Eustratiū vero quod spectat, is cum Citonato Episcopo Portuensi, ad quos pertinet consecratio Pontificis, vim a Pseudo-Papa invasore, ejusque fautoribus passi, adstiterunt Georgio Prænestino locum explente Georgii Ostiensis, qui apud Regem Francorum Legati munere fungebatur. Præterea id præstitit post Concilium Lateranense cum Episcopis Silva Candidæ, & Tiburtino, quod supra dictum est de Theodosio Tiburtino, quicum, Andrea etiam Prænestino accedente, legationem obiit ad Desiderium Regem. *POTHO Episcopo Nepesino.* Nequicquam Ughellus Baronii autoritate utitur, ut Joannis Nepesini supremum diem ad annum 770. producat, minuta ea literarum O. P. Q. A. interpretatione; nam Potthus inutile id studium eludit, redditque probabiliorem Joannis ætatem, qui subscribit Concilio S. Zachariæ anno 743.

^{40.} Potthus E-
piscopus Nepesi-
nus.

nec

nec veri videtur simile , quod vitam post id temporis septem & viginti annos produxerit ; quem præsertim Episcopis aliis , qui S. Zachariæ Concilio aderant , non esset junior . *CIDONATO Episcopo Portuensi*. Citonatum appellat liber Pontificalis , qui eum adfuisse refert ordinationi Pseudo-Papæ a Georgio Prænestino factæ . *ANTONINO Episcopo Cesinæ* , & *JOANNE Episcopo Fentiae* . Utrumque esse missum ab Archiepiscopo Sergio , cuius erant Suffraganei , testatur Codex ; qui Sedium nomina pro barbara illa ætate corrumpit : at Cesinam pro Cæsena videre etiam est in epistola 54. Cod. Carol. & Cæsniam in Embolo epistolæ 31. Cæsenates Episcopos aliquot octavi seculi Ughellus educit ex monumentis ; præ aliis Mancium , quem vixisse putat anno 780. ex quodam sigillo in Archivo Minorum extante gloriatur ab oblivione vindicasse . Huic igitur Mancio dabitur Prædecessor Antoninus noster Claudi Successor , juxta ordinem Ughelli . Rariora is habet nomina Faventinorum Præfulum : nam a Concilio Agathonis anno 680. cui aderat Vitalis , ad Leonem descendit , qui florebat 824. octavum omnino seculum vacuum relinquens . Quamobrem Joannes maximo hinc inde intervallo distans Faventinis restituendus .

STABILINO Episcopo Pensauri. Fortasse hic successit Andreæ , quem vidit Ughellus apud Baronium anno 743. nullum enim deinceps novit usque ad 820. *MAURUS Episcopo Fanensi*. Perinde est de Mauro , cui trium & viginti annorum spatium amplius relinquuit , nam ab Amato apud Baronium anno 743. ab eodem Baronio Joannem dicit 853.

JUVIANO Episcopo Gallis . Ante hunc Juvianum Gallesiæ Sedis Præsulem nullum offendere datum est , neque post eum alium quam Donatum , qui 826. Concilio Romano interfuit Eugenii II. : quare ut de Manturiano ajebam , ita de Gallesii hoc Antistite dicam necesse est : hunc nimirum primum omnium ejus Sedis occurrere . *GREGORIO Episcopo Senogalliae* . Hic successit Anastasio , qui subscribebat Constituto Pauli anno 761. ut vidit Baronius . *SERGIO Episcopo Ficulensi* . Sedis hujus nomen excidit ; at de ejus antiquitate Rubeus in historia Ravennatensi , unde Ughellus decerpit sua . Cerviensis hodie dicitur in miraculi cujusdam

41. Citonatus
Episcopus Portuensis.

42. Antoninus
Ep. Cæsena.

43. Joannes E-
pisc. Faventia.

44. Stabilinus
Ep. Pisaurum.

45. Maurus E-
pisc. Fanum.

XIV.
46. Juvianus
Ep. Gallesii.

47. Georgius
Ep. Senogall.

48. Sergius E-
pisc. Cerviensis.

memoriam, estque Suffraganea Ravennatis. Nec Ficucle,
aut Ficoche, ut corrupte noster Codex, sed Ficode, seu Phy-

^{49.} Tiberius
Ep. Ariminensis.

code olim appellabatur. Georgium vero ejus Sedis Episco-
pum nemo hucusque agnovit. *TIBERII Episcopi Arimi-*

nensi. Episcopus hic, æque ignotus omnibus, collocari potest
inter Agnellum, qui S. Zachariae Concilio interfuit, an. 743.

^{50.} Florentinus
Ep. Eugubinus.

& Stephanum, qui subscriptit Concilio Leonis IV. 853.
Ughello cognitos ex Baronio. *FLORENTINO Episcopo*

Eugubii. Hic item duos inter Benenatos Ughello notos ex

^{51.} Temau-
tus Ep. Urbinius.

Annalibus Baronii, primum 721. quem ego non novi, al-
terum 726. in Concilio Eugenii II. collocabitur. *TEMAU-*

RINI Episcopi Orbini. Sedes ista plurium Episcoporum indi-
gens, nam sex, & quadraginta supra centum annis altum
de iis silentium apud Ughellum occurrit, a Concilio videlicet
Agathonis anno 680. celebrato ad Eugenii II. Conci-
lium alterum 826. Temaurinum interim nostro Codici ac-
ceptum referet, per Gregorium Presbyterum Legatum suum,

^{52.} Cidonatus
Ep. Veliternus.

in Concilio Lateranensi cum aliis sedentem. *CIDONATO*
Episcopo Villitriæ. Et Veliternensium Episcoporum, ut de Eu-
gubinis nuper vidimus, non novit Ughellus nisi Joannem
toto seculo octavo, qui Gregorii II. decreto subscriptis an-
no 721. quare ex nonnullis, qui interciderunt Præsulibus
Citonatus jam demum emergit, Diptychorum defectum ali-
qua ex parte impleturus.

^{xv.}
Conclusio.

Jamque, ad Apostolicæ Sedis gloriam, Sediumque Epi-
scopaliū ornamentum, quarum Antistites in Venerabili Ba-
silica Salvatoris cum Stephano III. congregati Concilium
hoc Lateranense celebrarunt, quod principio Dissertationis
sum pollicitus, explesse videor. Quatuor siquidem capitibus
amplexus sum partem illam integrām Concilii, quam nobis
injuria temporum auferre non potuit. Utinam pretiosi adeo
monumenti fragmentum aliud me superstite proferatur! Aut
enim ipse acquisito jure interpres fiam, aut eruditum Scrip-
torem aliquem de veteri præsertim disciplina differentem au-
scultabo. Evidēm, quod præstare potui de hac re, super
reliquis in hoc fragmento enarratis, in Præfatione indicavi
nonnulla, quæ instar argumenti erunt dicendorum, siquan-
do fragmentum aliud Concilii ejusdem Patriarchalis in lucem

pro-

prodeat. Cæterum post Episcopos, de more confidebant Presbyteri Cardinales, qui suos Titulos, ut sæpe aliis in Conciliis factum videmus, siluerunt. Quum autem fere omnes subscripterint ante annos octo S. Pauli Constituto, eosdem tenere non est difficile. Archipresbyter nempe *Gregorius* erat tituli S. Balbinæ, nisi forte ei successerat alter *Gregorius* tituli S. Anastasiæ, qui sub Paulo subscribebat tertio loco; nam annis quatuor, & viginti ante hoc Concilium idem *Gregorius* Archipresbyter, nempe Presbyteris aliis senior, intererat Concilio S. Zachariæ. *Theophi*, seu *Teophilus* tituli Sanctæ Sabinæ. *Eustachius*, qui Eustochius in Constituto Pauli, tituli incerti. *Clemens* tit. S. Anastasiæ. *Donatus* tit. Sancti Sixti. *Armogenius*, qui Hermogenes in Constituto Pauli nuncupatur, tit. S. Priscae. Duo reliqui juniores aliis *Theophilatus*, & *Theodosius*, quia posteriores laudato Constituto Pauli, titulum nobis incertum habuerunt. Post Presbyteros adstebat (quod solenne erat Diaconorum in Concilio) Archidiaconus Anastasius, Successor nimirum Petri qui subscriptis Constituto Pauli. De ceteris Concilio adstantibus nihil mea interest dicere; nisi forte sicui videretur novum Cœnobium Græcorum Romæ audire. Nam præter conditum a S. Paulo in domo propria juxta Anastasium hodie juris Sanctimonialium S. Silvestri in Capite, narrat Cardinal. Baronius ex Areopagiticis Hilduini, quod Stephanus e Francia redux ædificare cœpit monasterium S. Dionysii, a fratre postea Paulo consummatum, qui velut a fratre Prædecessore jussus fuerat, famulatores Domini natione Græcos inibi constituit, & idem monasterium ad SS. Martyres in Schola Græcorum appellari fecit. Cætera ex ordine Romano satis liquent, ad congregatos nimirum Patres, Episcopos, & Presbyteros confidentes, Diaconosque, Religiosos, ac Laicos adstantes, quod spectat.

Baron. an. 754.

F I N I S.

IN-

I N D E X.

Numeri, quibus præmittitur litera P, sunt marginales
Præfationis; reliqui omnes, paginarum.

A

- A**bbates monast. S. Petri Salisburg. succedunt Episcopis Salisburgensibus 64. 66.
Acolytorum Ordinatio. P, 14.
Ado Episcopus Lugdunensis 2. 101.
Ado Episcopus Hortensis. 3. 85. 106.
S. Adrianus Papa agit cum Carolo Magno de instauratione Metropoleon Galliarum. 48. Sub ejus Pontificatu non omnes Gallicani Metropolitæ pristinam dignitatem recuperant. 55.
Agatho Episcopus Sutrinus 3. 106.
Aginnum urbs Aquitaniae. 61.
Agnellus monachus, historicus Ravenn. Archiepp. schismate infectus. 97.
Alatrinus Episcopus. 3. 107.
Albanus Episc. Card. Vide Ostiensis.
Alexander II. Sedem Aquilejensem exaltat. 78.
S. Amandus Trajecti Episcopus. 20.
Ambitus anathemate percutitur. 13.
Andreas Episc. Prænestinus. 107.
Ansualdus Narniae Episcopus. 3. 106.
Antoninus Episcopus Cæsena. 3. 109.
Aquensis Metropolis silet. 54.
Aquileja ab Hunnis excisa. 73. *Ejus prærogativa* 78.
Aquitania Pipino subjicitur. 61.
Archidiaconus in Conciliis stat. 4. Vide Archipresbyter.
Archiepiscopus medio ævo apud Græcos minor Metropolita. 58.
Archipresbyter cum Archidiacono, & Primicerio Notariorum, Se-de vac. aut absente Pontifice, Ecclesiam gubernat. P, 7.
Areostus Ludovicus fabulosam Turpini historiam sequitur. 102.
Arno Episcopus Salisburgensis. 69.
Aurinandus Tuscanensis Episcopus. 2. 103.

B, in

B

- B**, in V, medio ævo mutatur, & contra. 59. 62.
 Bajoaria Regno Francor. subjicitur. 63. Misera ejus Ecclesiæ conditio. 66.
Balneoregiensis Episcopus. 2. 104. Vide *Polimartium*.
Baluzius silentium Septimaniæ Metrop. ignorat. 54.
Baronius Card. Cæsar. 65. 79. 99.
Bituricensis Metropolis instauratio. 53. & seq.
Blanchinus Præsul, *Franciscus*. 83. P, 1.
Bleda, seu *Blera unitur Viterbiensi Episc.* 88.
Bobium fit Sedes Episcopalis. 35.
Bonifa Episcopus Privernensis. 3. 107.
S. Bonifacius Germaniæ Legatus Romæ ordinatur Episc. a S. Gregorio. II. 52. *Sacramentum ab eo præstitum S. Sedi*. Ibi. *In Galliam vocatur*. 26. *In Bajoariam pergit*. 65. *Res præclare ab eo gestæ*. 43.
Bonus Episcopus Manturianensis. 3. 108.
Bulferamus. Vide *Vulfrannus*.
Buraburg, seu *Burisburgum Sedes Episcopal*. 60.
S. Burchardus Vvertzburgensis Episcopus. 61.
Burdegala in Pipini ditionem venit. 61.
Burtevulgum nomen corruptum. 60. 62.

C

- C**œlestinus III. forte *Viterbien. Episc. instituit*. 88.
Cærensis Sedes antiquata. 91.
Cardinales Episcopi. 79. 82. & seq. *Olim in Conciliis sedebant Episcopis intermixti, juxta ætatem Ordin.* 80.
Cardinales Presbyteri in Conciliis sedent. 3. *Autoritas eorum antiqua*. 84. *Nomen antea commune, nunc ipsorum privatum*. 85.
Septenaria eorum partitio per Patriarchales. 83. & seq.
Carolus M. Romæ cum Adriano. 48. *Ejus testamentum, in quo XXI. metropoles recensentur*. 55.
Carolus Martellus. 25. *Saracenos in Aquitania vincit*. 62. *Regnum inter filios dividit*. 68.

- Causarum Eccles. cognitionis Ordo.* 53.
Centumcell. Episc. 3. 106. *Sedes Viterbio adnexa.* 88. 92.
Childericus III. *creatur Rex Francorum.* 68.
Cidonatus Episc. *Card. Portuensis.* 3. 109.
Cidonatus Episcopus Veliternensis. 3. 100.
Clemens II. *Ravennatem Sedem extollit.* 78.
Clemens III. *forte Viterbien.* *Episc. institutor.* 88.
Clemens XII. *optare prohibet Cardinales Episcopos.* 80. *Ferrariensis Episcopo concedit Pallium.* 36.
Cointius novit silentium Metrop. *Septimaniae.* 54.
Colonia Agrippina sit Metropolis. 26.
Concilia. 19. P, 5. *Forum subscriptiones, & confidendi ordo.* 47. 59.
Concilii Gener. VII. *Canon XVII. adstruitur.* 21.
Concordia Sacerdotii, & Imperii. 27. & seq.
Cpolit. *Patriarchæ audacia, & eventus.* 72.
Constantini Copronymi scelestæ impietas. P, 4.
Constantinus Totonis Nepesni fr. *intruditur in S. Sedem.* 4. 8.
Consecrat Episcopos. 85. *Dat literas Pipino Regi.* 87. *Constitutus in Concilio.* 9. & seq.
Corepiscopus, & Speculator. 55.
S. Cuthbertus Dorovern. *Archiep. S. Bonifacii amicus.* 44.

D

- D**, in T, medio ævo mutatur, & contra. 59. 62.
Daniel Narbonensis Episcopus. 2. 101.
Desiderius Langob. *Rex.* P, 4. *Excommunicatur.* 107.
Diaconi ordinatio. P, 14.
Diaconissæ olim ordinabantur. 97.

E

- E** *Broinus Majord. Franciæ Eccl. Gallic. pessumdat.* 24.
Ecclesiæ Gallicane conditio misera. 25. & seq.
Elusanæ Metropolis silentium. 54.
S. Emmeramus Ecclesiam Frising. *regit.* 67.
Episcopi a Pseudo-Papa ordinati, iterum consecrandi. 12.
Episcopi Gallicani, turbata Ecclesia vagantur. 72.

Erlul-

Erlulfus Episcopus Lingonensis. 2. 102.

Erminarius Episcopus Bituricensis. 2. 101.

Eudo Dux Aquitanæ Saracenos vincit. 62.

Eustratius Episc. Card. Albanus. 3. 14. *Concilii Later. anathemata pronunciat in Basilica S. Petri cum Gregorio Silvæ Candidæ Episcopo Card. & Theodosto Tiburtino.* 14. 107. 108.
Exarchatus Ravennæ fit Ditionis S. Sedis. 74. & seq.

F

Feleradus *Episcopus Lunensis.* 2. 104.

S. Felix *Ravennæ Archiepiscopus.* 77. *Finem affert diuturni schismatis Ravennatis.* 73.

Florentinus Episcopus Eugubinus. 3. 110.

Forenses Diaconi, &c. P, 14.

Frisingenensis Sedes ab Episcopis advenis gubernata. 67.

G

Gallesum *Castrum adnectitur Civit. Castellanae.* 94.

Gallicani *Episcopi ad Concilium Lateranense convocantur.* 4. 17. & seq. A S. Martino item evocati fuerant. 20. *Synodaliter in Galliis congregati promittunt obedientiam & subjectiō nem S. Sedi.* 44. 47.

Gavienus Episcopus Turonensis. 2. 101.

Georgius Episcopus Card. Ostiensis. 2. 99. *Diuturna apud Reges Francos Legatione fungitur.* 86. & seq.

Georgius Episcopus Senogalliae. 3. 109.

Giselbertus Episcopus Noviomensis. 2. 102.

S. Greg. M. de S. Pallio. 41. *Trium Tabern. Sedem addit Vclitern.* 92.

S. Gregorius II. S. Bonifacio *confirmat Legation. Germanicam.* 43. *Consecrat Episcopum.* 52.

S. Gregorius III. *creat Archiepiscopum S. Bonifacium.* 43. *Mittit Pallium Metropolite Viennensi.* 50. *Ordinat Vvinilum Pataviensem Episcopum.* 65.

Gregorius Episc. Card. Silvæ Candidæ. 3. 14. 85. 107. 108.

H

Hermembertus Episcopus Joahione . 2. 101.
Hincmari doctrina de Pallio rejicitur . 100.
Hispanien. Eccl. ab Arianis pessumdata per Vic. Apostol. sustinetur. 29.
Holstenius Lucas. P, 3. Concilia Eug. II. & Leonis IV. evul-
gavit integra ex Biblioth. Barberina. 81.

I

SS. **I**maginum veneratio vindicata in Concilio . 13.
Joannes Episcopus Faventinus. 3. 109.
Joannes Archiep. Ravennas ordinatur Romæ. 74.
Joannes Episcopus Salisburgensis. 65.
Jordanes Episcopus Signinus. 3. 106.
Joseph Episcopus Dertonensis. 2. 18. 103.
Italiae facies Concilii tempore. P, 4. *Politia.* 38. *Sedes Episco-*
pales antiquatæ. 88.
Judices Palatini, sive Ordinarii. P, 7.
Juvavia varia nomina. 62.
Juvianus Episcopus Castri Gallesii. 3. 109.

L

Lanfridus Episcopus Castri . 2. 103.
Leo Episcopus Castellanus. 2. 105.
Leo Archiep. Ravenna usurpator dominii S. Sedis. 75.
Leo Isaurus usurpat Provincias, & Civitates Patriarchat. Occid. 37.
Lingonensis Sedis varia nomina. 59.
Lul, seu Lullus Episcopus Moguntinus. 2. 28. 86. 100.
Lunensis Sedes Sarzanæ unita. 91.

M

Majordomatus Franciæ potentia incipit . 24.
Manturanum, & Maturanum. 94.
Marca Petrus de, arguitur. 21. 47.

Ma-

- Mariani Francisci opinio expenditur.* 89.
Maurinus Episcopus Polimartii. 2. 105.
Maurus Episcopus Fanensis. 3. 109.
Mediolanum a Langobardis excisa. 73. *Suffraganei ejus Sedis Metropolis.* 35.
Meldensis Sedes. 58.
Metensis Sedes quare Archiepiscopalibus. 58.
Metropoles præter Pontificis autoritatem crectæ corruunt. 40.
Metropolita sine Pallio non est Archiepiscopus. 42. 47. & seq.
Metropolita nomine tenus. 58.
Metropolitica dignitas eversa in Galliis instauratur. 25. 28.
Moguntia fit Metropolis. 26. 28. *Instauratur.* 51.
Monachi Græci, & Latini. 4. 111. *In Concilio stant.* Ibi.
Monothelitæ ab Agathone damnati. 19.

N

- N** *Arbo Saracenis erupta.* 61. *Metropolis silet.* 54.
Nicolaus I. contra Marcam defensus. 21. 47.
Nirgotius Episcopus Anagninus. 3. 106.
Notariorum Regionariorum munus. P, 6.
Noviomagensis Sedis varia nomina. 60.

O

- O** *Ptimates Militiae, & Castrorum.* 4.
Ostiensis Episc. Cardinalis prærogativa. 2. 79. & seq. 85.
Cum Albano, & Portuen. Episc. consecrat Romanum Pontif. 79.
Ostiensis Sedes augetur Veliternensi. 95.

P

- P** *Aderbornensis Episcopatus erectio.* 61.
Pagius Antonius arguitur. 65. & seqq. 69.
Pagius Franciscus arguitur. P, 7. item, 21.
Pallium dari cœptum omnibus Metropolitis. 28. 46. *Duplex ejus tradendi genus.* 41. *Quandoque Suffraganeis datum.* 58. *Eo non conferebatur Vicariatus Apostolicus.* 42.

- Patriarchatus occid. ab Iconomachis mutilatur.* 37.
S. Paulus I. moritur. 6.
Petrocorium Urbs Aquitaniæ. 61.
Petrus Episcopus Cærensis. 2. 85. 105.
Petrus Episcopus Populonii. 2. 104.
Pinus Episcopus Trium Tabernaruin. 3. 107.
Pipinus ejicit Saracenos ultra Pyrenæos. 62.
Polimartium Balneoregio adnætitur. 92.
Pontifex. Vide *Romanus Pontifex*.
Populonium Massæ adjungitur. 90.
Portuensis Episc. Card. consecrator Papæ. 79.
Pothus Episcopus Nepeſinus. 3. 108.
Primatus, & Vicarius Apostolici discrimen. 41. 43.
Primatus in Gallia eversus. 25. 45. *Senonensi Metropolitæ tribuitur.* 31.
Primicerius Notariorum. 5. *Ejus officium, & potestas absente Papa, vel Sede vacante.* P, 6. 7.
Principes sunt exterius Ecclesiæ brachium. 20.
Privernenſis Sedes. 93.
Proceres Ecclesiæ. 4. 83. & P, 10.
Professio Fidei a Metropolitis facienda, ut Pallium acciperent. 51. 53.
Provinciæ Ecclesiasticae Pontificiae institutionis sunt. 39.
Provinciæ Galliarum Civiles. 22. *Ecclesiasticae.* 23. & seq.
Provinciæ Italiae Civiles. 32. *Ecclesiasticae.* 33. & seqq.

R

- R** *Avenna Sedes Imperatorum, & Regum.* 73.
Ravennas Archiepiscopus omnibus Metropolitis præfertur. 2.
77. & seqq. Imitatur audacia Patriarcham Cp. 73.
Remensiæ Metropolis instaurata. 51.
Romanus Pontifex eligebat ex Presbyteris Cardd. & Diac. 11. P, 9.
Quandoque extra Collegium Card. Ibi. *Electionis, & sacramenti antiqua forma.* P, 10. & seq. *Confirmari vult electio-*
nem ab Imperatore. 56. *Quandoque consecrabatur absque Pre-*
sbbyteratus ordine. P, 14. *Ejus funus non solenniter procura-*
batur. P, 11. *Trina ejus potestas.* 18. *Circumspectio in evo-*
candis Episcopis alienæ Ditionis. 20. *Archiepiscopos omnes Pa-*
triar-

- triarchatus occid. aut ordinabat, aut Pallio confirmabat. 42.
 Quomodo administrat Exarchatum Ravennæ. 74. 76. Usur-
 patum ab Archiepiscopis dominium queritur. 75.
 S. Rudbertus Salisburgensis Episcopus. 65.

S

- S**acerdotii, & Imperii jura non confundenda. 56.
 Salisburgenses Episcopi. 64. & seq. Eorum Sedes ædificata. 66.
 Archiepiscop. honorem asequuntur. 62.
 Saraceni Septimaniam invadunt. 25. Pelluntur ultra Pyrenæos. 62.
 Schisma Ravennat. Archiepiscopor. 73.
 Scriniarius legit Acta Ecclesiæ, & Concilii. 5. 14. 107.
 S. Sedis prærogativa. 4. & seq.
 Senonensis Metropolis varia nomina. 98. Instauratio. 56. & seq.
 Honor Primatus. 31.
 Sergius Episcopus Ferentinus. 2. 106.
 Sergius Episcopus Ficodensis, seu Cerviensis. 3. 109.
 Sergius Archiepiscopus Ravennæ. 2. 97. Ordinatur Romæ. 73. & seq.
 Dominatum Exarchatus usurpat. 75. & seq.
 Sicilia juris Romanæ Metropolis. 20.
 Silva Candida adjuncta Sedi Portuense. 96.
 Stabilinus Episcopus Pisaurensis. 3. 109.
 Stephanus II. reddit ex Francia. 97.
 Stephanus III. P, 4. Convocat Gallicanos, & Italos Præfules ad
 Concilium. 4. Quo absoluto nudis pedibus ad S. Petri Basili-
 cam incedit. 14.
 Subdiaconatus non erat ordo sacer. P, 8. Ejus conferendi forma. 14.

T

- T**, in D, medio ævo mutabatur, & contra. 59. 62.
 Temaurinus Episcopus Urbinas. 3. 110.
 Thassilo II. Dux Bajoarie a Pipino deficit. 63.
 Theodorus Episcopus Papiæ. 2. 104.
 Theodosius Episcopus Tiburtinus. 3. 14. 107.
 Thomassini opinio refellitur. 83.
 Tiberius Episcopus Ariminensis. 3. 110.

Tilpi-

- Tilpinus Episcopus Remensis.* 2. 27. 29. 30. 102.
Toto Nepesinus Pseudo-Pape frater. 7.
Trebia Spoletanæ Sedi adjungitur. 93.
Tres Tabernæ Veltinensis Sedi adjunguntur: Ibi.
Tuscanæ, seu Tuscanella Sedi Viterbiensi unitur. 88. & seq.

V


- V**, in B, medio ævo mutabatur, & contra. 59. 62.
Valeranus Episcopus Trebiæ. 3. 108.
Veltinensis Sedes tributa Ostiensi. 95.
Verabulfus Episcopus Burdegalensis. 2. 101.
Vicarius Apostol. & *Primatus discriben.* 41. 43.
S. Virgilius Salisburg. Episcopus. 67. & seqq.
Viterbiensis Sedes Episcopalis. 88.
Vvafarius Aquitaniæ Dux sacrilegus. 61.
Vvillarius Archiep. Senonensis. 2. 28. 98.
Vvirtzburghensis Episcopatus erectio. 60.
Vulfrannus Episcopus Melden. 2. 17. 59. 86. 99.


Z

- S. **Z** Acharias tribus Palliis tres confirmat Archiepiscopos a
S. Bonifacio constitutos. 50.

Pag.	lin.	ERRATÆ.	CORRIGE.
8.	15.	Lareranensis	Lateranensis
63.	6.	Jovano	Juvano
76.	4.	quis credat.	quis credat?
77.	36.	sancþo huic	sancþo hoc
78.	27.	æquum	æquum
93.	ult.	Concliis	Conciliis







I
La
u
el
II



Signt. Tod.

Est 24

Tab 20

1 Niam. 11

Lent

1869

1869

4469

17